This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

AC
13
.H

Admodum Reverendi & Doctissimi Viri,

D. *Roberti Huntingtoni*,

Episcopi *RAPOTENSIS*,

EPISTOLÆ:

ET

Veterum Mathematicorum, Græcorum, Latinorum, & Arabum,

SYNOPSIS:

Collectore Viro Clarissimo & Doctissimo,

D. *EDWARDO BERNARDO*,

Astronomiæ in Academia Oxonienſi

Professore *SAVILIANO.*

PRÆMITTUNTUR

D. *Huntingtoni* & D. *Bernardi*

VITÆ.

Scriptore Thoma Smitho,

S. Theologiæ Doctore.

LONDINI:

Typis *Gul. Bowyer*, Impensis *A.* & *J. Churchill*, ad Insigne Nigri Cygni in Vico vulgò vocato Paternoster-Row. M. DCC. IV.



Admodum Reverendi & Doctiſſimi Viri,

D. *Roberti Huntingtoni*,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET

EPISCOPI *RAPOTENSIS*,

EPISTOLÆ.

PRÆMITTITUR

De ejuſdem D. HUNTINGTONI *vita, ſtudiis, peregrinationibus, & obitu,* Ὑπομνημάτιον.

Scriptore THOMA SMITHO,

Sacræ THEOLOGIÆ DOCTORE,

ET

ECCLESIÆ ANGLICANÆ PRESBYTERO.

LONDINI:

Typis *Gul. Bowyer*, Impenſis *A.* & *J. Churchill*, ad Inſigne Nigri Cygni in Vico vulgò vocato Paternoſter-Row. M. DCC. IV.

De vita, ſtudiis, peregrinationibus, & obitu admodum reverendi & doctiſſimi Viri, D. ROBERTI HUNTINGTONI, *Sacræ Theologiæ Doctoris, & Epiſcopi Rapotenſis,*

Ὑπομνημάτιον.

ROBERTUS HUNTINGTONUS, cujus vitam brevi compendio deſcribere conſtitui, (tum mei, tum Patriæ cauſâ, ut, dum monimentum hoc chartaceum memoriæ Amici ex privato affectu, & planè lubenti animo, non rogatus, conſecro, ingentes illæ virtutes, doteſque mentis excelſæ, quæ in illo, poſtquam in virilem ætatem maturuiſſet, eluxêre, ſeræ poſteritati non ſine debitis elogiis oſtenderentur) primum auræ æthereæ halitum excepit Februario menſe anni Æræ Chriſtianæ M. DC. XXX. VI. ut nos numeramus, apud Deorhirſtam, oppidum non incelebre, ad Sabrinæ ripam ſitum, ſex circiter milliaribus à Glouceſtria, primariâ urbe Provinciæ, diſſitum. Pater illius

384563

loci Parochus, multâ prole felix, quatuor filios in ſtudiis literarum ſumma cum diligentiâ inſtituendos curavit, ut Deo & Eccleſiæ devoti, matura demum ætate, ſacris Ordinibus initiarentur. Quorum ſecundò genitus, Robertus noſter, in Scholâ publicâ Briſtoliæ literas Græcas & Latinas benè pro ætatis modulo edoctus, cum decimum ſextum, aut circiter, annum vitæ attigiſſet, Oxonium miſſus eſt: in Mertonenſi Collegio, à ſapientiſſimo Præſule, Gualtero de Mertonâ condito, opimiſque reditibus dotato, primò inter *Portioniſtas* recenſitus; magnis Viris, quos nobile iſtud pietatis ac doctrinæ Seminarium aluit, deinceps addendus. Cùm verò compoſitis moribus, ingenio, & profectu in bonis literis omnium amorem & benevolentiam ſibi conciliâſſet, poſt ſuſceptum primum in Artibus gradum, quem *Baccalaureatum* appellamus, quam primum per ſtatuta licuit, unanimi illorum, penes quos jus eligendi erat, conſenſu, in numerum Sociorum admittebatur, quadriennium præter propter ſub acri diſciplinâ & cenſurâ, vel in leviuſculos errores deſidiæque ſuſpicionem ex perquam laudabili iſtius Collegii inſtituto animâdverſura, exacturus.

Ineunte anno M. DC. LX. III. Laureâ Magiſtri donatus, inque Comitiis ſequentibus Magiſtrorum, uti nuncupatur, *Senior*; quo munere cum Auditorum applauſu defungebatur, ſui jam quaſi factus Dominus & compos, poſtquam Artium & Scientiarum circulum pro more abſolviſſet, Theologiæ, & Orientalium Linguarum, in quibus delicias ſuas poſuit, ſtudio ſe totum addicit,

addicit, & in quibus etiam illum, quando adhuc juvenis eſſet, ingentes, maximéque laudandos, progreſſus feciſſe optimus judex, D. Pocockius, teſtatus eſt: cujus conſilio, vel potiùs ſponte ſuâ & potenti mentis inclinatione, incitatus, cum certus rumor ſpargeretur, D. Framptonum, qui tum Halebi Mercatoribus Anglis erat à Sacris, (Framptonum illum dico, merito ſuo pòſt ad Decanatum, deinde ad Sedem Cathedralem, Eccleſiæ Glouceſtrienſis, regnante ſereniſſimo Rege Carolo Secundo, promotum, tandemque ab eâdem dignitate iniquiſſimâ ſorte amotum) de reditu in Angliam cogitâſſe, Huntingtonus noſter inter Candidatos iſtius ſacri muneris coram ampliſſimâ Mercatorum Londinenſium, qui mercaturam in Oriente exercent, Societate comparens, illorum ſuffragiis renunciatus eſt digniſſimus, qui Viro optimo ſuccederet.

Relictâ Angliâ menſe Septembri A.M.DC.LXX. Navis illa, quâ vehebatur ex pacto cum Mercatoribus Londini inito, primò rectà Smyrnam tendebat; illâ vero in anchoris ſtante prope inſulam quandam non procul ab anguſtiis maris Ægæi, ob inopiam aquæ potabilis illic e laticibus profluentibus exhauriendæ, dum ille aliique, abſque omni metu, & prorſus nimiùm ſecurè, à littore divagarentur, montem vicinum, ut inde inſulam ſubjectam, & mare circumfluum, Græciamque obverſam liberiori oculo proſpicerent, ſcanſuri, Græci ex adverſo in continente degentes, in ſuis antris rupibuſque tuti, & planè indomiti, Chriſtiani quidem nomine tenus, ſed

peſſimi latrones, ad alteram inſulæ partem cymbis ſuis, prædæ captandæ ſpe, pro more clam tranſvecti, noſtratibus in viâ, quâ erat redeundum, inſidiantur. Quibus tempeſtivè conſpectis, ab hoc gravi, quod capitibus imminebat, periculo, pernici fugâ, & quaſi alatis pedibus, ægrè admodum ſalvi evaſerunt. Quo nuncio accepto, literis â D. Huntingtono Smyrnâ Conſtantinopolim ad me miſſis, illi de hoc felici ad celeberrimum iſtud Aſiæ minoris Emporium adventu, effuſa lætitiâ & cordato affectu gratulatus ſum. Dum autem Smyrnæ maneret, duarum triumve ſeptimanarum morâ fruiturus, animo inexplebili reſque novas viſendi cupidiſſimo, Epheſum & Thyatira petiit, iſtarum celebrium urbium rudera luſtraturus.

Tandem verò, poſt quatuor menſium navigationem ab ipſis initiis, ſalvus appulit Alexandrettam, vulgò nautis & mercatoribus nuncupatam *Scandarone*, in ſinu maris Mediterranei verſus Orientem extremo : inde ſuperatis montibus hodie Beylanicis dictis, factoque in vaſtam planitiem, quæ ab altera parte Antiochiam uſque longe lateque excurrit, deſcenſu, tandem alterum illud celeberrimum Orientis emporium, Halebum, lætus ingreditur, omni cum benignitate & cultu, quem præclara ejus virtus & pietas merita eſt, à ſuis Anglis exceptus. Tantum verò aberat, ut bonam iſtam, quam de illo ex famâ prænunciâ concepiſſent, exiſtimationem fruſtraretur, ut illam longè potiùs ſuperaverit. Inde mutuus iſte amor ſanctaque amicitia inita eſt; quæ illius, ſopito tœdio, quod

quod mora inter barbaros Turcas & Arabas aliter ingeſſiſſet, longam a Patriâ abſentiam penè jucundam reddidit. Jam verò quaſi in centro peregrinationis conſtitutus, & ubi ſibi diu conſiſtendum eſſe propoſuerat, facilè in memoriam revocavit, quali conſilio, quo fine, difficile illud & periculoſum iter ſuſceperit; tum nimirum, ut Miniſterio Sacerdotali ex debito ſanctæ profeſſionis fungeretur, tum ut ex prudenti rerum uſu & pertinaci ſtudio ſapientior & eruditior factus, Patriam rerum hactenus penè incompertarum, vel ſaltem vix ſatis benè cognitarum, notitiis, invectiſque librorum gazis, redux ditaret. Hæc *illi* poſt navatam Deo & religioni operam, proxima erat cura, quam irrequieto animo per undecennium impenderat. Nec quiſquam id melius potuit, aut impenſiùs voluit, aut feliciùs præſtitit. Arabicè eruditus, inter illos, quibus lingua iſta erat vernacula, quaſi domi verſari videbatur: quod ad mercaturam iſtam librariam planiorem facilioremque ſternebat viam; cui ex inſpectis Codicibus MSS. Bibliothecæ Bodleianæ Oxonii ex munificentiâ Viri maximi, & ſempiternis præconiis celebrandi, D. Guilielmi Laud, Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris pientiſſimi, dono datis, & ex ſubacto judicio, quo pollebat, in argumentis variæ eruditionis indagandis, probè compertum erat, quid uſui foret, quid rarum, quid magni æſtimandum, & quid tam laborioſæ inquiſitioni tantiſque ſumptibus meritò reſponderet. Quo autem voti tam ſancti compos fieret, Græcorum, Syrorum, Armenorum, etiam Judæorum, Samaritanorum, & Mohammedanorum,

danorum, prout occaſio ſeſe obtulerat, operâ uſus eſt : quam quoque Romanæ communionis Myſtæ, per Orientem ſparſi, rem ſacram ex inſtituto vitæ ordiniſque, cui ſeſe addixerint, Religioſi, miro zelo procurantes, ipſi oblatam abundè & cumulatiſſimè pro ſummâ ſuâ humanitate & candore præſtiterunt. Hic enim, quod reticeri nolim, & alibi in Turciâ, diſſidiis & diſputationibus, quæ pacem Chriſtianam importunè interturbant, procul amandatis, prout ejuſdem communis Salvatoris Jeſu Chriſti diſcipulos & cultores omninò decet, ſummâ concordiâ vivitur inter Chriſtiani nominis hoſtes, ſolâ hâc lite interpoſitâ, utrum benefaciendo mutuiſque amoris & amicitiæ officiis præſtandis alii alios vincant. Nec ſibi ſoli hac ex parte proſpectum ibat Huntingtonus noſter ; Amici enim, quos in Angliâ reliquerat, induſtriæ ipſius optimos experti ſunt fructus. Hinc frequens illud literarum commercium habitum inter illum & longè præſtantiſſimos viros, D. D. D. Narciſſum Marſhum, nuperrimè ex Dublinienſi factum Archiepiſcopum Armachanum, & totius Hiberniæ Primatem ; Johannem Fellum, Epiſcopum Oxonienſem ; Edwardum Pocockium, Canonicum Eccleſiæ Chriſti Oxon. & Linguarum Ebraicæ & Arabicæ Profeſſorem : Thomam Mareſhallum, Collegii Lincolnienſis Rectorem perquam digniſſimum, & Eccleſiæ Cathedralis Glouceſtrienſis Decanum ; Edwardum Bernardum, Aſtronomiæ Profeſſorem Savilianum ; Thomam Hydum, primarium bibliothecæ Bodleianæ Cuſtodem ; & Guilielmum Guiſium, in flore juventæ

ventæ peracerbo fato extinctum, & titulis omnibus parem, ne dicam majorem futurum; ut alios taceam, quorum consiliis & votis in libris, quos singuli pro variâ studiorum ratione postularunt, comparandis obtemperare summæ delectationi duxit. Ubicunque locorum sive in Syriâ, sive in Palæstinâ, sive in Ægypto, sive in Persidè, Codices manu exaratos adhuc integros latere, fama, incerta licet, vulgaverat, industriam suam neutiquam desiderari passus est; nullosque recessus, ubi aut inveniendi spes, aut nanciscendi copia dabatur, reliquit inexploratos. Quali verò successu, quàm bono, quàm felici, & quàm planè obstupescendo, post laboriosam virorum æquè curiosorum, eidemque curæ intentorum, indaginem, jam per seculum dudum exercitam, Deus Opt. Max. coronaverit: publica Oxonii Bibliotheca, copiosâ librorum accessione nobilitata, in æternum, (ita spero augurorque) si fas sit dicere, merito ostentabit.

Maximè solicito de libris Syriacis procurandis felix ineundæ cum D. Stephano Petro, Patriarchâ Maronitarum Antiocheno, quam postea omni debita cum veneratione epistolis, officiisque Christianæ pietatis, quibus aut illi aut Presbyteris, magna inopiâ laborantibus, erat succurrendum, per multos annos prosecutus est, amicitiæ obtigebat occasio. Is autem Vir reverendissimus Bassæ Tripolitani expilationibus & tyrannide divexatus, sese tunc temporis ad montes Kesroanos, non procul a Beryto, quam levi mutatione hodiè *Barut* appellant, subduxerat; ut illico procul à conspectu & consortio Turcarum

provinciæ ditioniſque ſuæ Chriſtianorum neceſſitatibus meliùs & ſecuriùs provideretur. Cuidam enim Syro Sacerdoti Halebo ad ſolitudines iſtas montanas reverſuro, literas in manus tradidit, Huntingtonus, ipſius nomini inſcriptas, in quibus rogavit, ut librorum Syriacorum, vetuſtioris ævi, & cujuſpiam authoritatis apud iſtam gentem, indiculum pro ſummâ ſuâ humanitate & pietate tranſmittere dignaretur. Ille verò non multo poſt Canobinum, Monaſterium Maronitarum, in declivi montis Libani latere ſitum, ubi ordinariam ſedem habet Patriarcha, ſedata tempeſtate reverſus eſt. Hoc conſultò & prudenter quidem ab Huntingtono noſtro factum fuiſſe, facilè quiſpiam cordatus & ſapiens dixerit. Quis enim alius, aut magis idoneus, aut promptior erat exiſtimandus, cui hoc propoſitum innoteſcere deberet, aut à quo meliùs poſſet ſatisfieri? Quantas autem ſpes bonæ lætæque frugis inde enaſcituræ non aleret mens ſagax, & vanæ credulitatis expers? Sed, quod mirum & planè inexpectatum videtur, reſcribit Patriarcha, *jam vix apud illos Scriptorum memoriam aut notitiam hodie ſupereſſe: cum Syria per decem ſecula tyrannidi dominantium, bellis, incendiis, rapinis, & ſpoliationibus obnoxia, adhuc ſub iiſdem malis ingemiſcat: ſe tamen pro virili acturum, ſi quoquo modo ſanctum iſtud ſtudium juvari poſſit.*

Præcipuè verò ſolicitus erat Huntingtonus de S. Ignatii, Epiſcopi Antiocheni, Epiſtolis Syriacè converſis; ſed omninò incaſſum & abſque fructu. Illas olim exſtitiſſe pluſquam veriſimile videtur. Hebed Jeſu, Metropolita Sobenſis,

benſis, in Catalogo librorum Chaldæorum, tam Eccleſiaſticorum quàm Profanorum, ab Abrahamo Ecchellenſi Romæ edito 1653. (a) *Ignatii* ſine aliquâ notatione in genere meminit; quod de Epiſtolis illius fortiſſimi & ſanctiſſimi Martyris in eccleſia Dei celeberrimis videtur intelligendum; cum non aliud Scriptum ſub illius nomine citaverint aut Patres, qui propè ſecuti ſunt, aut antiqui Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores. Sed rem extra omne dubium ponit alterius Ignatii Antiocheni, qui Romæ decimo ſexto ſeculo ad finem vergente, ſub Gregorio decimo tertio, Pontifice Romano, diem ſuum obiit, Catalogus librorum, quos ſecum advexerat ex Oriente, in quo S. Ignatii, primi illius Sedis Præſulis, Epiſtolæ, Chaldaicâ ſive Syriacâ linguâ exaratæ, (b) expreſsè & particulatim recenſentur. Quod ſi integræ & ſalvæ illic hodiè maneant, ſperandum eſt, quempiam è doctis Maronitis, qui in iſtâ Urbe aluntur, in iis edendis operam utiliſſimam tandem aliquando navaturum, ut collatione accuratâ facta, exemplar Græcum Florentinum illuſtrari, &, in pauciſſimis quidem, emendari poſſit.

Sed hiſce fruſtrationibus non abſterritus, extra Syriam cogitationes & ſtudia direxit, in Ægypto, in Palæſtinâ, in Meſopotamiâ, & in Monte Sina, exemplar Ignatianum, ſive Græcum, ſive Syriacum, inveſtigaturus, ut importunis D. Felli votis & efflagitationibus gratificaretur. Sed poſt longam, eam-

(a) *Pag.* 16. (b) Vide D. Uſſerii Armachani Prolegomena de S. Ignatii Martyris epiſtolis; Cap. IV. editionis Oxonienſis 1644. Pag. XVIII.

que

que diligentem, explorationem, hoc quoque aliorum, qui ſuccederent, curæ & induſtriæ relinquere, reluctante licet animo, cogebatur.

Felicior autem fuit in libris Ephremi Syri venandis, quorum aliquos in orbe Chriſtiano, ut puto, ignoratos, Patriarchæ Antiocheni beneficio adjutus, auſpicatò nactus eſt. Inprimis verò recenſeri debent illius in Pentateuchum Commentarius, & quædam Homiliæ. Non enim erat exſpectandum, ut omnes fœtus, quos fœcundum ingenium ſanctiſſimi illius Viri, verè magni, non ob dignitates, quas averſatus eſt, & ad quas capeſſendas nullo modo compelli potuit, ſed ob ſummam vitæ ſanctimoniam, non minori humilitate conjunctam, ob zelum in rebus ſacris, ob aſſiduum in Scripturis explicandis uſum in frequentiſſimis ad populum Homiliis, ob denique elegantiam ſermonis extuliſſet, & quos Græcia ſuâ linguâ converſos dudum legebat & mirata eſt, per undecim annorum centurias, in iſtâ horrendâ rerum cataſtrophe ad noſtra hæc tempora adhuc ſervarentur.

Ubi verò ſacer iſte Theſaurus in ædibus Religioſis repoſitus, nullo pretio interpoſito, abſque ſacrilegii reatu, alienari poſſet, (hoc enim ipſius & illorum pietas & religio planè vetuêrunt) de iis exſcribendis Amanuenſium non ignobili munere conductorum ope ſedulò cautum erat.

Sed ejuſmodi Studia, quibus non captantur opima Sacerdotia aut Dignitates, ſuſque deque habentur, ac miſerè neglecta jacent. Quis enim interpretandi & commentandi laborem ſuſcipiet? quis

quis imprimendi impensas feret? Celeberrimus Doctor Loftusius, indefessæ & admirandæ industriæ Vir, & in hisce studiis summâ laude, si quis unquam, versatissimus, Latinè transtulit Dionysii Bar Salibi Commentarium in IV Evangeliorum Codices; cujus perinsigne specimen elegantissimis typis Syriacis Theatrum Sheldonianum Oxonii extrusit: sed non erat ad gustum seculi sanctum istud opus, quod laudatores multos reperit, pauciſſimos verò fautores, & in ipso ad vitalem auram nixu extinguitur. Quàm autem optimè de religione Christianâ, de literis sacris, de Patriâ, denique de Repub. literariâ in omne ævum merebuntur Principes, Magnates, & Episcopi, si Societate Virorum harumce rerum studiosorum institutâ, liberalibusque stipendiis auctâ, (neque enim unius aut alterius humeri tantæ moli ferendæ suffecerint) novo lumine imbuatur Europa, quod in Orientem, spissis insciticæ tenebris obrutum, unde ortum olim habuerit, multiplicatis obstetricante prelo exemplaribus, quasi gratâ vice refundi possit!

Durante longâ hâc apud Halebenses morâ, in regiones tam procul dissitas, quam vicinas, excurrisse placuit; eo magis quod non pauci è Mercatoribus, quibus ingenium longè superius erat lucri opumque amore & curâ, eodem acri peregrinandi ardore incenderentur. Apud enim advenas hosce præsertim post naves, opulentis mercibus onustas, è portu solutas, quo tempore feriari datum est, mos iste solennis Hierosolyma adeundi ita inolevit, ut penè cesserit in religionem;

nem ; vixque quiſpiam repertus eſt, quin ſentiat, haud ſe, ſalvâ famâ, ne dicam conſcientiâ, niſi confecto iſtoc ſacro itinere, in Angliam redire poſſe aut debere. Primo igitur tempore felicem illam loca iſta ſacra Palæſtinæ, ſive triumphantis, ſive afflictæ ac Romanorum armis profligatæ, oculis pedibuſque luſtrandi opportunitatem arripit Huntingtonus ; tanto alacriùs id facturus, cui res iſtiuſmodi ex inſtituto vitæ & ſtudiorum ratione magis curæ & cordi eſſent. Sanctam autem Urbem, non vano aut ſuperſtitioſo affectu, quaſi obtentu merendi, ſed mente piâ, ſeriâ, & ſapienti, in admirandorum illic geſtorum tum vitæ tum mortis beatiſſimi Salvatoris noſtri contemplatione defixâ petit : poſt nimirum peragratam ferè univerſam Galilæam & Samariam. Huc enim divertebat præcipuè, ut cum reliquiis Samaritanorum, qui Sicima, ſive Neapolim, utpote ex iſtius ruinis ab Herode conditam, hodie *Naplos* nuncupatam, juxta montem Gerizim, tribus horis ab urbe Samaria, olim Σεβαστή, nunc *Isboſte*, diſſitam, incolunt, de libris, ritibuſque ſacris, de fide, opinationibus, conſuetudinibus, aliiſque congeneris argumenti ad illorum religionem pertinentibus, familiares miſceret ſermones. Cum reliquiis dixi ; cum non plures quàm triginta aut circiter familiæ, ut referre ſolitus erat, illic ſupereſſent, & fortaſſe non multò plures Gazæ. Interim ſuâ paucitate contenti, de ſe præclarè admodum & magnificè ſentientes, *ſe ſolos veros Ebræos & Iſraelitas*, nuncupant, & Judæos Palæſtinenſes alioſque deſpicatui, imò & odio, habentes, ab illorum,

rum, ne quippiam inde labis contrahatur, conſortio ſedulò & quàm maximè cavent. Dum prolatis libris Samaritano charactere deſcriptis, quos ille legebat expeditè, de Ebræis in Angliâ commorantibus multa in medium produxit, illi placido errore & præcipiti credulitate inducti, ſponte ſua arripiebant, illos eſſe ſuos fratres & contribules, ad quos literas illius ope tranſmittere decreverunt, an Ebræi iſti in Angliâ per omnia ipſis conſenſerint, exploraturi. Mox literas ejuſmodi linguâ Ebræâ, characteribus autem Samaritanis exaratas, ad D. Huntingtonum, Hieroſolymis tunc temporis morbo detentum, prout inter ipſos conditum erat, misêre, quas ille Oxonium deferendas curavit. Reſponſorias dedit iiſdem linguâ & charactere Vir præſtantiſſimus, D. Mareſhallus, qui id optimè potuit, in quibus multis de Chriſto Jeſu Salvatore noſtro, verò Meſſiâ, inſinuatis & ſubintellectis, alia quoque, præſertim de vaticinio Patriarchæ Jacobi de *Shilo, qui venturus erat, & de illo Propheta, ſimili Moſi*, pro pietate & ſagacitate ſuâ inſeruit. Commercium iſtud epiſtolicum per aliquot annos duravit: morte autem D. Mareſhalli interſiſſum, penitus ceſſavit.

Priores haſce literas, quas illorum nomine ſcripſit Marchib Aben Jacob, in quibus ſumma religionis Samaritanorum continetur, Latinè interpretatus eſt D. Bernardus, ὁ μακαρίτης: cujus verſionem, à me olim Oxonii acceptam, Vir ſummus, Jobus Ludolfus, non ita pridem edidit in ſuis Epiſtolis Samaritanis. Advertendum eſt, quod in iiſdem Samaritani nimiùm ſuperbè

de

de ſummâ iſtius libri legis, quem apud ſe retinent, vetuſtate, ac ſi eſſet ipſe codex authenticus & originalis Abiſhæ Sacerdotis, pronepotis Aaronis, & illius manu ſignatus, abſurda & prorſus incredibilia prædicaverint. En verba illorum:

> *Penes nos eſt ſcriptum ſacrum, Codex nempe Legis, jam a diebus gratiæ divinæ; ubi ſcriptum reperitur: Ego Abiſha, filius Pinchaſi, filii Eleazeri, filii Aaronis, Sacerdotis, ſcripſi hoc ſcriptum ſacrum in oſtio Tabernaculi conventûs, anno decimo tertio commorationis filiorum Iſraelis in terra Canaan, circa limites ejus.*

Hâc jactantia provocatus, quinquennio elapſo, cum alterâ vice Hierofolyma adire placuerit, Sicima repetit Huntingtonus. Dum verò ille, aſſumpto in manus libro, quem ipſiſſimum eſſe dixerant, hanc Abiſhæ ſcripturam, tanto honore ac cultu hâc fictâ antiquitate habitam, emiſſitiis oculis quaquaverſum converſis inſpecturus, fabellam iſtam inficetam in rigidum revocare incepiſſet examen, qui præſentes aderant, quaſi de mendacio convicti, ſcripturam iſtam olim fuiſſe exciſam, pudore ſuffuſi, contendebant. Totam verò hanc hiſtoriam, à me hic quaſi in anteceſſum præfloratam, curioſus lector ex literis D. Huntingtoni ad D. Ludolfum meliùs & diductiùs ediſcere poterit. Hoc unicum addam, neutiquam Exemplarium Pentateuchi hodie apud Samaritas exſtantium veræ antiquitati derogaturus,

rus, mihi quidem perquam verisimile videri, ex inspectis in Angliâ exemplaribus; viz. Usseriano in bibliothecâ Cottonianâ, Laudino in Bodleianâ, & Huntingtoniano, nuperrimè à me in Hiberniam ad reverendissimum D. Armachanum transmisso, vix quidpiam ex istis quadringentos quingentosve annos ætate supergredi. Quod fortè de cæteris in orbe Christiano repertis censeri possit. Sed viderint alii.

Præter libros sacros secum in Angliam advexit Huntingtonus noster Chronicon sive Historiam Samaritanam, linguâ Arabicâ, sed propriis literarum figuris, exaratam; quæ Historiæ Sacræ & Ecclesiasticæ non parum luminis fœnerabitur: in quâ linguâ, ut ille refert, illi hodienum benè & loquuntur & scribunt; admixtis tamen subinde vocibus Ebraicis Syriacisque.

Cum de magnificis Palmyræ, urbis apud Scriptores Græcos & Latinos retroactis seculis celebratissimæ, Halebo ad Euronotum centum quinquaginta milliaribus dissitæ, ruderibus, ex oculatis testibus, Arabibus Syrisque, constaret, Huntingtonus, quantum emolumenti ad civilem antiquorum temporum, quando res Palmyrenorum maximè florerent, historiam ex litteratis Marmoribus esset redundaturum, apprimè gnarus, itineris istius capessendi consilium suggessit. Non absterrebant Viros, amore antiquitatis erudendæ totos flagrantes, aut inviæ ac inhospitæ solitudines, per quas erat transeundum, aut pericula ex insultibus latrocinantium Arabum, qui pro necessitatibus aut cibi, aut aquæ, mutatis subinde sedibus, ubivis discurrunt, subeunda. Armis, viatico, ducibusque

cibuſque viarum inſtructi, alacri animo in eremo vagantur: dumque poſt ſex ſeptemve dies Palmyram attingunt, illam tunc à Melkamo Regulo ſuiſque ſequacibus inſeſ-
M. DC. LXX. VIII. ſam non ſine ſummo mœrore vident. Quid ergo in hâc perplexitate fieri oportuit? Duos ex ſociis ad veniam illius, quo ingredi liceret, impetrandam miſêre: hos captivos detinet Arabs iſte, morte intentatâ, ni indictâ pecuniarum ſummâ, eâque non mediocri, redimerentur. Non aliter cum ſceleſtiſſimo latrone agendum erat. Sociis igitur receptis, urbem quaſi procul intueri contenti, (neque enim ut ſeſe darent in manus perfidi hominis, omniſque fidei & probitatis expertis, licet amicitiam ſimulaverit, permiſerit prudentia) triſtes, re infectâ, quam aliorum meliori ſorte poſtea abſolvendam reliquêre, redeunt. Quàm verò hujus perfidiæ aliorumque ſcelerum admiſſorum pœnas lueret barbarus iſte ſylveſtrium Arabum *Emirus* ſive Præfectus, oſtendi in Præfatione ad Inſcriptiones Græcas Palmyrenorum; neque id repetere opus erit, idemque bis ſcribere mihi foret maximè tœdioſum.

Reſtabat iter in Ægyptum, quod feliciſſimè, ſecundante Divinâ Providentiâ, abſolvit. Quocunque autem ſe verteret, idem literarum amor, eadem rerum naturalium cognoſcendarum cupiditas; præcipuè verò eadem in inveſtigandis Codicibus Manuſcriptis induſtria illum perpetuò comitata eſt. In hiſce autem libris Copto-Arabicis ſingillatim recenſendis non eſt, quòd hîc nimiâ anxietate laborem: cum ii ex egregio

&

& utilissimo Catalogorum opere Oxonii M.DC.XC.VII. edito peti possint. Paucos tamen, eosque maximi momenti, utpote longè præcipuos divinarum Scripturarum Libros complectentes, nominare, titulisque suis prænotare non abs re alienum, nec, uti spero, Lectori ingratum, videbitur.

Maximè & inprimis memoranda veniunt tria Evangeliorum Exemplaria, quorum unum Kahiræ, alterum in deserto Nitriæ, tertium Hierosolymis reperit, D. Maresshallo, qui editionem Copticam N. T. magno & erudito cum apparatu elegantissimis typis, eâ de causâ & deditâ operâ fusis, molitus est, transmissa. Hic enim studio linguæ Saxonicæ, cujus erat callentissimus, quod Annotationes in Evangelia Gotthica & Saxonica, illius & D. Francisci Junii junctis curis publici juris ferè ante quadraginta annos edita, abundè testantur, accuratam exquisitamque linguarum Orientalium, & præsertim Copticæ, quam in deliciis habuit, indefessa planè industria addiderat. Quo autem fructu, qualique beneficio rei Christianæ & Ecclesiæ Catholicæ, & præsertim Copticæ, horrendum in modum afflictæ, quarum Alumni ingenti impressorum exemplarium copiâ erant remunerandi, Respublica literaria dudum habuisset compertum, nisi Viri optimi, cujus memoria mihi, tum ob illibatam pietatem,

* Cæteros libros Coptos & Copto-Arabicos in gratiam D. Maresshalli a D. Huntingtono procuratos, quo pretiosissimo legato in ultimis tabellis Academiam Oxonienſem donavit, vide in illius catalogo, prout exstat in magno opere pag. 373.

reconditiſſimam eruditionem, reliquaſque præclariſſimas animi ſupra hæc caduca & terrena erecti dotes, tum ob arctam illam, quâ me per multos annos complexus eſt, amicitiam, ſemper chara & ſacra conſtabit, mors interveniſſet. In proprios autem uſus varia exemplaria, quatuor Evangelia, Acta Apoſtolorum, epiſtolas S. Pauli, & ſeptem epiſtolas Catholicas continentia, uti etiam Pentateuchum Moſaicum, itemque librum Pſalmorum, ſibi reſervavit.

Dum verò Kahiræ ædibus clariſſimi viri, D. De Segla, Gallicæ gentis Conſulis, omni cum humanitate, quam prompto ore, literis repetitis, calidoque animi grati ſenſu indefinenter agnovit, exceptus, maneret, cum quodam Copto Sacerdote de Conciliorum duobus voluminibus, unà cum appendice Concilii Chalcedonenſis, & denique tribus reliquis Pentateuchi Moſaici libris exſcribendis paciſcebatur: etſi originalium ſibi copiam fieri, qualicunque pretio, intra debitos æqui fines conſtituto, maluiſſet, quod neutiquam licebat. Solos enim privatos, qui libros quoſcunque, tanquam merces pecuniis comparandas, in peculio habuere, aggredi ſolitus, ſacros Codices, publicis Eccleſiarum aut Communitatis Religioſæ uſibus deſtinatos, cum id fas juſque, ut ante innuebam, planè vetuerint, ne quidem licitari voluit, Religioſos Romanæ Communionis viros, præcipuè Capucinos, in hâc Urbe & alibi reſidentes, quo faciliori operâ ſancti iſtius propoſiti, quod omnibus ingenii & induſtriæ nervis urgebat, compos fieret, habuit adjutores; quos nimirum, ut hoc iterum,

rum, cum veniâ candidi Lectoris, licet importunus, ingeram, *communis iſtius ſalutis*, Chriſti, omnium credentium Salvatoris, ſanguinis acquiſitæ, cura, quos fidei Sanctis ſemel traditæ amor & ſtudium, quos denique morum ſtudiorumque ſimilitudo, parque de re Chriſtiana inter efferos ſuperboſque crucis Chriſti hoſtes benè merendi zelus, indivulſo fraternæ charitatis nexu copulavit. Horum literis, poſt relictam Ægyptum, monitus, omnes libros Prophetarum alicubi repertos fuiſſe, de iis adipiſcendis ſolicitâ mente agebat. An verò Amanuenſis iſte, pretio conductus, in hiſce ultimis fidem pacti ſervaverit, & quouſque perrexerit, quippiam pro certo ſtatuere non poſſum.

Eodem tempore Kahiræ aderat reverendiſſimus Pater, D. Joannes Laſcaris, Archiepiſcopus Montis Sinæ, res populi Chriſtiani, quem regebat, apud Baſſam procuraturus. Hunc adibat D. Huntingtonus, multa de ſtatu religionis Chriſtianæ in vicinis provinciis, multa de libris in bibliothecâ Monaſterii, S. Katharinæ dicati, quo ſedem habuit, in vertice iſtius montis collocati, repoſitis, qui qualeſcunque eſſent, omni, quâ decuit, modeſtiâ rogans: quem parili candore, doctrinâ, & judicio pollere coram expertus eſt. Sed non diu initæ amicitiæ, quam felix caſus conciliaverat, uſurâ frui datum erat; utpote à ſe invicem avulſi, ille in Arabiam, hic in Syriam, revertuntur. Hujus verò converſationis memoria menti & medullis D. Huntingtoni adeo fixis tenacibuſque radicibus adhæſerat, ut de illâ commercio literarum revocandâ ſibi quàm

 maximè

maximè contendendum esse, sui muneris duxerit. Sed quod maximè dolendum est, multiplices, quas scribebat, literæ, viarum difficultates neutiquam eluctatæ, ad unam omnes periisse videntur. Non enim quicquam responsi, quod jure vendicare poterat, accepit. Cùm verò rumor percrebresceret, eundem Archiepiscopum Kahiram repetiisse, D. Huntingtonus, illius præcipuè videndi causa, circa finem anni M.DC.LXXXI. Ægyptum quoque repetit, ut de commercio epistolico, sive de re Christianâ, sive de libris Græcis, Syriacis, & Arabicis, quotquot apud ipsos exstabant rarioris notæ, in publicam lucem in Angliâ producendis, instituendo conveniretur. Sed ibi non comparuit Archiepiscopus tantopere expetitus: cujus blandæ spei, & præconceptæ felicitatis frustrationem non sine ingenti luctu ac animi mœrore lamentatus est.

Iter aliud antea susceptum casu pariter infelici malè cesserat. Nam mense Februario anni M. DC. LXX. VII. ex industriâ navigavit Cyprum, eo fine, ut reverendissimi Patris, D. Hilarionis Cigalæ, novæ Justinianæ Archiepiscopi, & istius Insulæ Primatis, bibliothecam lustraret. Illum tamen convenire neutiquam licebat. Quippe enim ille metu Turcarum sese paulo ante subduxerat, in latibulis abditus, & à nemine aut visendus aut compellandus.

Cum Samaritanis, cum Coptis, & præsertim Archimandritâ Monasterii S. Mariæ Barsenæ in deserto Macarii, & cum his quidem Arabicè) & potissimum cum multis Viris Religiosis, per Orientem religionis Christianæ propagandæ cau-

sâ

ſâ quaquaverſum ſparſis, frequens literarum commercium exercuit: inter hos maximè commemorandus venit P. Archangelus de Sanctâ Thereſâ, Ordinis Carmelitarum diſcalceatorum, qui tunc temporis apud Baſſoram, celebre ob mercatores variarum gentium illuc confluentes emporium, urbemque populoſam, ad oſtium Euphratis in Sinu Perſico ſitam, Miſſionis ſuæ munia obibat. Hunc conſuluit, uti antea ipſius Symmiſtam, P. Angelum à S. Joſepho, conſuluerat, de Sabæis ſive Mendæis, (neque enim quicquam certi aut explorati de illis hactenus proditum fuerit) an reliquiæ Chriſtianæ religionis, poſt tantam barbariem feritatemque morum invectam, & inter tot ſpiſſas, quibus lumen fidei obductum erat, ignorantiæ tenebras, adhuc reſtarent, & an impuriſſimo aut Gentiliſmi, aut Mahommedicæ veſaniæ cœno toti demergerentur; & ſi qui libri, præcipuæ apud ipſos exiſtimationis & famæ, deliras iſtius Sectæ opiniones complectentes, ac vetuſtioribus literarum figuris, quæ olim in communi uſu erant, deſcripti, adhuc quoque ſupereſſent. De quibus certior factus, cum Viro humaniſſimo ſtrenuè egit, ut pro ſummâ illius benignitate, & amore religionis Chriſtianæ & literarum, ejuſmodi libros è Barbarorum manibus, qualicunque pretio, quod æquum ſtatueret, redimere vellet. D. Huntingtoni votis importuniſque precibus obſecundavit bonus iſte Carmelita, & poſtea deſinente anno M. DC. LXXX. III. tres libros in Angliam benevolè admodùm & providè tranſmiſit, quorum duos Mendæi olim Adamo Proto-

plaſtæ à Deo traditos, tertium verò Angelis trecentis triginta annorum millibus ante Adamum conditum, cœlitùs delatos, communi Gentis errore fabulantur. Hi verò libri inſpicientibus magis ſtupori qnam uſui ſunt, eruntque, nondum reperto Interprete, qui adhuc deſideratur, & deſiderabitur, donec ſtudia hæc jejuna & inutilia, quæ eſt iniquiſſima multorum cenſura, Principum, Magnatûm, & Epiſcoporum munificentia, priſtinum, à quo ignavorum indoctorumque hominum culpa excidêre, decus recuperabunt.

Secundum libros, quibus colligendis præcipuam curam ſummamque diligentiam adhibuit Huntingtonus, multa alia, quæ aut politiori literaturæ, aut hiſtoriæ naturali illuſtrandæ conducerent, animo agitavit, & ingenio capaci complexus eſt. In horum cenſu pono non modicam Numiſmatum ſelectiſſimorum, & quorum aliquot vix antea in orbe Chriſtiano, ne quidem in Principum cimeliarchiis, reperiebantur, copiam. Illorum verò numero, cedrorun conos, cypreſſorum & ſycamorum Ægyptiarum nuces, fruticumque Syriacorum baccas, in uſum amicorum, quæ culturæ hortorum erant ſtudioſiſſimi, collectas : item ſemina florum & plantarum, plantaſque ſiccas varii generis, in Syria, Palæſtina, Ægypto creſcentes, exquiſito naturæ artificio effictas, atque tum ad uſus medicinales, tum ad delectationem oculorum comparatas, quas in horto Medicorum, qui Oxonii eſt, inſerendas propagandaſque tranſmiſit : pro quibus (munus enim erat longè acceptiſſimum) D. Vice-Can-

Cancellarius, tum ſui ipſius, tum publico iſtius celeberrimæ Univerſitatis nomine, ſolennes, gratias egit. Ut de avibus, inſectis, variiſque granorum ſpeciebus, & ejuſmodi rebus naturalibus huc etiam tranſmiſſis nihil jam referam. Sed de ipſius peregrinationibus variiſque itineribus hactenus: cum illo igitur in Angliam properare oportet.

Jam poſt undecim annos expletos de reditu in Patriam cogitat D. Huntingtonus, appellente, qui apud Mercatores munere ſacro functurus erat, Presbytero Succeſſore. Mox duos treſve ſocios nactus, conſcenſa nave, ad maritimas Italiæ oras proſpera navigatione trajecit, non ſine ſumma lætitia, ſe, relicta Turcica barbarie & vaſtitate, Chriſtiani Orbis amœnitatibus, ex placidiſſimis incolarum moribus longè majoris æſtimandis, jam jam fruiturum. Sed non diu erat in Italia conſiſtendum. Ideo luſtratis Roma, Neapoli, aliiſque celebrioribus urbibus, quarum magnificentiæ aut priſtinæ aut præſentis fama Peregrinantes ſolet ad ſe allicere, Galliam petit, & ſine mora Lutetiam Pariſiorum, ſi non univerſæ Europæ principem Urbem, ſaltem, ſi Palatia, ſi Baſilicas, ſi Collegia, ſi Bibliothecas, ſi denique, cæteris cultioris vitæ præſidiis omiſſis, ingentem doctiſſimorum Virorum, ſcientias omne genus, divinas, naturales, Mathematicas, & quicquid eximii in integro diſciplinarum circulo continetur, ad quod humanum ingenium aſpirare poſſit, præclara & utili æmulatione colentium, numerum ſpectemus, nulli cedentem, properat, ibi aliquot ſeptimanarum moram factu-

rus. Quanti viri! ſed qui ſeſe comitate & ſuavitate morum, promptoque, omnibus humanitatis officiis præſtitis, de quibuſcunque Exteris bene merendi ſtudio, quàm doctrina pluris æſtimari & cupiunt & ſtudent. Inter quos, præſtantiſſimos viros, D. Abbatem du Four de Longuerue, & D. Picques, Doctorem Sorbonicum, ambos linguarum Orientalium callentiſſimos, & e Reformatis, D. Allixium, Eccleſiæ Charentonianæ Miniſtrum, recenſere ſolebat, quorum egregiam humanitatem miris elogiis prædicavit. Sed vicit amor Patriæ, neque illum deliciis Pariſinis penè irretitum diu detineri ſivit.

Natali ſolo tandem Dei Opt. Max. beneficio & gratia, poſt tam longas, moleſtas, periculoſaſque peregrinationes reſtitutus, revertitur Oxonium, in Collegio Mertonenſi (omnia enim jura & emolumenta, quæ ex munificentia pientiſſimi Fundatoris Sociis accreſcere ſolent, integra ipſi manſêre, ac ſi pedem extra Domum iſtam Religioſam non extuliſſet) vitam privatam, obſcuram, ſtudioſamque in muſeo acturus: quo nemo dignior, qui in publicam lucem produceretur. Interea temporis ſorte ſua contentus vixit Vir meritis ſuis ac modeſtia magnus. Ne verò ſibi omnino deeſſe videretur, purpuram Doctoralem menſe Junio anni M. DC. LXXX. III. ambiit, & in proximè ſequentibus Comitiis pro more celebratis ad completum gradum & dignitatem Doctoris in Facultate Theologica promovebatur: in quibus ipſe quoque, (in gratiam Amici, cujus vitam hoc commentariolo deſcribo, præcipitem

cipitem hanc & pene faſtuoſam mei una cum illo commemorationem mihi, uti ſpero precorque, condonabit benignus Lector) protrudentibus Amicis, & indulgente Academia, eoſdem honores conſecutus ſum.

Ejuſdem menſis die XXI. indicta ſolenni omnium Doctorum & Magiſtrorum Regentium & Non-Regentium Convocatione, brevi poſt execrandam & planè Diabolicam iſtam Fanaticorum contra vitam ſereniſſimi Regis, & auguſti Fratris illius conſpirationem, admiranda Numinis providentia detectam, unanimi *Decreto*, ne uno quidem reclamante, quædam Democraticorum, Schiſmaticorum, & Fanaticorum Propoſitiones, impiæ, falſæ, ſcandaloſæ, ſeditioſæ, pacis & tranquillitatis publicæ & jurium humanæ Societatis, regiminiſque Monarchici, perpetuis hujus Regni mille per annos legibus ſtabiliti, in ſe omninò everſivæ, quibus tanquam tot facibus animi ſequacium ſuorum, quos ſub ſpecie libertatis, aut purioris doctrinæ vindicandæ fraudibus & ſtrophis miſerè deluſerant, ad commune incendium Patriæ inflammantur; & quæ, ubicunque admiſſæ dominantur, cædes, ruinas, ſtrages populorum, rebelliones, ἀταξίαν in utroque ſtatu, tam Civili quam Eccleſiaſtico, certamque generi humano perniciem inducunt, damnantur: illorumque libri hiſce monſtroſis dogmatibus fœti, ultricibus, quas meruêre, flammis in Quadrangulari Scholarum publicarum Area, præſentibus ad novum hoc ſpectaculum univerſis Academicis, extemplo devoventur. Ut verò hujuſce judicationis, tanta cum ſolennitate

latæ,

latæ, ratio meliùs conſtaret, illius celeberrimi *Decreti* exemplaria Latinè & Anglicè in communem uſum confeſtim typis publicis eduntur; protenuſque quoque D. Huntingtonus à D. Vicecancellario, D. Fello, Epiſcopo Oxonienſi, cæteriſque Academiæ Primoribus, ad Aulam Regiam demandatur. Ille præſtituto tempore ibi comparens, *Decretum* hoc coram ſereniſſimo Rege, Carolo ſecundo; aſſiſtentibus ſereniſſimo Principe, Duce Eboracenſi, & nobiliſſima Procerum Corona, clara voce legit, & ſumma fide & prudentia, quod ipſe in mandatis habuiſſet, exequitur. Quod faventiſſima aure excepit Rex clementiſſimus, monſtrando, hanc maximè opportunam profeſſionem fidei illibatæ Academiæ Oxonienſis (utpote conſtantiſſimæ & antiquæ, quam in afflictiſſimis ſereniſſimi Regis, Patris ſui, temporibus, integram ſervaverat) ipſi quàm maximè placuiſſe.

Circa idem tempus Collegii S. Trinitatis juxta Dublinium, in Hibernia, præfectura vacavit, Viro doctiſſimo, D. Narciſſo Marſh, S. Theologiæ Doctore, qui ſumma cum laude Spartam illam ornaverat, ad Epiſcopatum Fernenſem & Leighlinenſem evecto. Munus ſanè tum ob dignitatem, tum ob amplum reditum, quo illa ſplendidè ſuſtentari poſſit, reditum maximè expetendum: & quidem eo magis, quod unicum ſit Eccleſiæ Hibernicæ Seminarium, in quo juventus, ſacro Miniſterio deſtinata, Scholaſticis exercitationibus ad doctrinam, ſtricta autem diſciplina ad pietatem formatur. Dum de ſubſtituendo Succeſſore deliberandum fuerit, D. Fellus,

Epiſ-

Epiſcopus Oxonienſis, ab illuſtriſſimo Principe, Jacobo Duce Ormondiæ, Hiberniæ Prorege, ad quem cura illius Academiæ, cujus erat Cancellarius, uti etiam Oxonienſis, jure ſpectabat, ut par eſt credere, conſultus, D. Huntingtonum accumulatis elogiis commendavit, omnibus aliis Candidatis, ſi qui eſſent, longè præferendum. Hic verò, quàm primùm de teſtatiſſima D. Felli, qui multum hac ex parte apud conſummatiſſimum illum Heroa potuit, benevolentia ipſi conſtitiſſet, onus iſtud, licet tanto cum honore conjunctum, averſiſſimo animo primò recuſat, & à ſe obnixe, deprecatione interpoſita, amolitur: ſed tandem illius precibus & conſiliis expugnatus, ceſſit, planè invitus. In cauſas hujus averſionis non curiosiùs inquiram: quiſque ſuo ducitur voto, & iniquiſſimum erit in aliorum abditas cogitationes, ſi noſtris non congruæ ſint, gravi cenſura invehi. Hoc tantùm compertum habeo, illum de hac relegatione, quaſi in exilium, apud Amicos interioris notæ queri conſueviſſe.

Ad finem hujus anni vel circa initium ſequentis, Dublinium petit, novum hoc, & prorſus inexpectatum, ne dicam ipſi reluctanti impoſitum, munus adminiſtraturus. Statim magiſtratus indicabat Virum. Gnarus quippe, ab ipſis initiis de futuri regiminis exitu ſæpenumero augurandum eſſe, alacer promptuſque ad id, quod ipſi incubuerit præſtandum, ſe accinxit; quod cum penè ſcrupuloſa & pertinaci diligentia ſedatiſque affectibus fecit, ut ſegnes exemplo & ſuaſionibus ad induſtriam, alioſque, qui juvenili licentia

licentia deliquerint, monitis ad virtutem emendatoſque mores hortaretur, aut, caſtigationibus adhibitis, potentiori & ineluctabili jure & vi cogeret in ordinem. Conſtans & perpetua ipſi cum Sociis, in partem regiminis venientibus, intercеſſit concordia: nec habuêre cæteri, quod criminari jure potuerint. Rigidus licet diſciplinæ exactor, illam tamen prudentia & lenitate temperavit. Nemo induſtriæ & ſtudiis literarum aut excitandis aut fovendis intentus magis: nemo in reditibus Collegii aut conſervandis aut ampliandis vigilantior, aut æqui bonique in rebus, quæ ad ſe ſpectabant, obſervantior: nemo religionis & Sacrarum Scripturarum cognitionis inter Hibernos propagandæ ſtudioſior: quod illuſtri exemplo confirmabo. Epiſcopus enim Fernenſis & ille, ſeriis conſultationibus cum aliis venerandi nominis Præſulibus, quibus hoc ſanctum opus maximè placuiſſet, crebro habitis repetitiſque, qua facili juſtaque ratione craſſæ Hibernorum ignorantiæ obviam ire poſſent, tandem inter alia, de Veteri Teſtamento Hibernicè edendo convenerunt, cum Novum Teſtamentum eadem lingua priùs extitiſſet, ut ex iſtis puris fontibus ſcientia divinarum rerum, rejectis putidis mendacibuſque fabulis, quibus Vitæ Sanctorum refertæ erant, in illorum, ſi qui eſſent paulò elevatioris ingenii, adque veritatem aſpirarent, animas horrendis miſerum in modum ſuperſtitionibus oppletas, diſperſis inter ipſos Exemplaribus, derivaretur. Illi verò Interpretem idoneum, cui labor iſte concredi meruerit, negotium iſtud D. Roberto Boylæo retulerunt,

ut

ut ipsius auspiciis & patrocinio sanctum istud propositum tandem aliquando in effectum daretur. Hic vero Vir optimus, & inter maximos seculi proximè elapsi Viros summo jure recensendus, cujus vel nudum nomen omnium titulorum elogiorumque vicem supplebit, arrepta hac de Hibernis suis benè merendi occasione, qui de universâ Rep. literariâ, imò de universo genere humano, scriptis sapientissimis, luculentisque & utilissimis inventis, & liberalitate in studiis literarum & pietatis promovendis effusissimâ pridem meruisset, pecuniis Interpreti ex condicto solutis, sibi soli sumptus editionis impendendos generosè ac lubenter suscepit: quod illum abundè præstitisse Hibernia gratulatur. Quâ de re literas, inter illum & D. Huntingtonum scriptas, non modicâ cum voluptate me legisse memini. Opus verò illud desideratissimum, ineunte anno M. DC. LXXX. VI. prodibat; Præfatione ab admodum reverendo Viro, D. Doppino, Episcopo Midensi, in quâ de illius ratione copiosè & accuratè differitur, Anglicè præfixâ. In hâc autem editione soli Canonici libri continentur: Apocryphorum librorum versione, quam in schedis Huntingtonianis reperi, penitùs omissâ.

Post obstupescendam rerum in Angliâ catastrophen, cùm Hibernia motibus cito in bellum erupturis agitaretur, & ubivis per universam insulam efferatâ plebe ferocientibusque militibus tumultuatum esset, sibi fugâ in Angliam de salute suâ, unà cum multis millibus, quorum pectora panicus iste terror invaserat, prospiciendum

dum esse duxit, quo modo res publicæ, in præcipiti stantes, inclinaturæ essent, præstolaturus.

Expugnatâ Hibernia, postquam ille per annum illic mansisset, quod antea, obfirmato in Angliam revertendi animo, apud se planè statuerat, Præfecturâ Collegii Dublinienſis cessit, cui Vir reverendus & doctissimus, D. San-Georgius Ash, nunc Episcopus Clocherensis, datus erat in Successorem.

Dum verò hæc agerentur, fide & diligentiâ D. Edwardi Bernardi, qui illo absente erat unicus hujus rei expediendæ arbiter, Manuscriptos Codices præter propter sexcentos, viz. Græcos, Chaldaicos, Syriacos, Copticos, Arabicos, Persicos, Turcicos, cum tribus libris Mendæorum supra memoratis, quos in Oriente magnâ industriâ magnisque quoque sumptibus collegerat, || Curatoribus Bibliothecæ Bodleianæ Oxonienſis (nobilem sanè accessionem libris Orientalibus ex munificentiâ D. Laudi, Archiepiscopi Cantuarienſis, & selectissimæ librorum D. Pocockii, quos à Viduâ ingenti pretio iidem Viri clarissimi non ita pridem redemerant, collectioni addendam) ut in publicos usus in omne ævum servarentur, septingentis libris sterlingicis venum expositi: cum antea, ut se gratum almæ Matris Academiæ alumnum ostenderet, triginta quinque Codices MSS. prompto animo, dum prosperâ sorte frueretur, dono dedisset.

|| Vide Pag. 279. Catalogi.

Anno

Anno M.DC.XC.II. à prænobili & generoſiſſimo Viro, Equeſtris dignitatis, D. Edwardo Turnero, ad Sacerdotium, ſi non ſatis opimum, ſaltem non contemnendi valoris, in Parochiâ Hollingburiæ in agro Hartfordienſi ſitâ, ut verbo municipali utar, erat præter expectatum *præſentatus*. Ne verò totus hâc quaſi ſolitudine conſtitutus mærore abſorberetur, & ad vitæ ruſticæ moleſtias curaſque, quibus penitus erat inaſſuetus, leniendas, eodem anno in uxorem duxit lectiſſimam Virginem, maturam annis, claris natalibus oriundam, (utpote D. Joannis Poelli Armigeri, olim turmæ Equitum in Regio exercitu, flagrante rebellione Parlamentaria, ductoris, filiam, & clariſſimi & Juriſconſultiſſimi Viri, D. Joannis Poelli, unius ex Judicibus in Curiâ Banci Regii, ſororem) egregiiſque animi dotibus præditam; cum quâ aſſiduo vitæ tempore vixit amantiſſimè & jucundiſſimè. Credo autem, quod non temere, ſed ex certâ ſcientiâ loquor, nulli unquam felicius connubium obtigiſſe.

Novâ hâc ſtatione, quâ Deus illum poſuit, felix, lucrifaciendis Chriſto animabus, inculpatæ vitæ exemplo, aſſiduiſque concionibus ac privatis monitis ſummopere intentus, muneri Eccleſiaſtico ſtrenuè incumbit, ab illo vix qualicunque machinâ dimovendus. Eodem verò anno, Amicis clam ipſo intercedentibus, ad Præſulatum Kilmorenſem deſtinabatur; ſed cum admodum reverendus Vir, D. Willielmus Sheridanus, ex vi nuperæ legis Parlamentariæ inde abdicaretur, præfractè nolebat Epiſcopari.

Verum-

Verumtamen mens vel ſapientiſſimorum hominum non ſemper manet immota; ſed huc illuc impellitur, prout momenta rerum inclinant. Qui ante pluſculos annos Hiberniæ æternùm valedixiſſe ſibi viſus fuerit, ad revertendum potentiſſimâ ratione, cui obluctari penè nefas fuiſſet, & ſuaſu Amicorum tandem ſe patitur induci: quod hoc modo accidit.

Anno M. DCCI. vacante per mortem D. Carncroſs ſede Rapotenſi in Provinciâ Ultoniæ, illuſtriſſimus & excellentiſſimus Dominus, Henricus Comes Clarendoniæ, cui D. Huntingtoni virtutes doteſque Dignitati Epiſcopali ſuſtinendæ apprime pares, ab illo tempore, quo Regnum iſtud ſub auguſtiſſimo Rege, Jacobo ſecundo, ſummis cum fidei & politicæ prudentiæ laudibus adminiſtraverit, erant perſpectiſſimæ, illum literis Londinum invitat, de illius meliori ſorte, pariter ac de Eccleſiæ Hibernicæ commodo, quantum ipſius privata conditio pateretur, providus & ſolicitus; prolatiſque novis, iiſque certiſſimis, ſummi erga illum affectûs indiciis, pollicetur ſe cum Fratre ſuo, nempe Viro nobiliſſimo & excellentiſſimo, Comite Roffenſe, qui tunc temporis, iiſdem elogiis cumulatiſſimus, eâdem ſummâ dignitate & poteſtate, quâ ille ante tredecennium, potitus eſt, fruebatur, pro virili acturum, ſi modò cum vitæ ipſius rationibus conveniret, & niſi ipſe obſtaret, ut ad iſtam ſedem ſupplendam ornandamque nominaretur. Hujus ſapientiſſimis monitis conſiliiſque annuebat D. Huntingtonus: nec opus habuit longâ, difficili, & moroſâ deliberatione, ni ſibi, ni

Eccleſiæ,

Eccleſiæ, ni religionis, cujus erat ſtudioſiſſimus, cauſæ & negotio defuiſſet. Excellentiſſimus Comes Roſſenſis perſpectis quoque coràm D. Huntingtoni meritis, quæ illum, ſibi antea commendatum, commendatiſſimum reddidêre, rem deſideratam facilè effectam dedit. Ita omnia ex voto, imò ſupra votum, proceſſêre.

Rebus in Angliâ ad novum iſtud iter commodiùs ineundum illico confectis, ineunte Julio ejuſdem anni Hiberniam navigat, nunquam in Angliam, ne quidem ad inviſendos Amicos, vel brevi admodum morâ, quod triſtis rerum eventus docuit, rediturus. Tempeſtuoſo mari, furentibuſque ventis, licet paulò malè habitus, exſcenſione in terram factâ, Dublinium incolumis appulit; parùm aut nihil bonâ valetudine aut robore imminutis. Paulò poſt, viz. viceſimo die ejuſdem menſis, juxta Ordinale Eccleſiæ Anglicanæ, quod, (uti & Liturgia, omneſque ſacri ritus, in cultu divino adhiberi ſoliti) ex vi legum Civilium & Eccleſiaſticarum, illic obtinet, à reverendiſſimo Viro, D. Narciſſo, tunc temporis Archiepiſcopo Dublinienſi, nunc verò Armachano, & totius Hiberniæ Primate, aſſiſtentibus admodum reverendis Viris, D. D. D. Epiſcopis, Kildarenſi, Oſſorienſi, & Clonenſi, qui nunc illi ſuccedit in ſede Raphotenſi, in Eccleſiâ Chriſti Dublinii cum debitâ ſolennitate conſecratur. Omnes boni Eccleſiæ Hibernicæ hanc felicitatem gratulati, à Viro conſummatæ prudentiæ, pietatis, & doctrinæ, & acri zelo Dei gloriam, publicumque veræ religionis commodum & incrementum, promovendi accenſo,

ſumma quæque exſpectârunt; & omni dubio procul, maximæ exſpectationi de illo conceptæ, ſi vixiſſet, adjutrice Divinâ Gratiâ, abunde reſpondiſſet. Sed Deo Opt. Max. aliter viſum fuit. Dum enim ille ad ſedem ſuam Cathedralem ſibi feſtinandum eſſe propoſuerit, ut ab iſtâ ſpeculâ, conjectis in univerſam Diœceſin oculis, omnes muneris ſui partes, & quid à Clero ditionis ſuæ fieri oportuerit, meliùs & certiùs circumſpiceret; ſi quid perperam admiſſum fuerit, correcturus, quæ deerant, ſuppleturus, & quicquid læſæ pietatis collapſæque diſciplinæ inſtaurationi magis conduceret, ordinaturus, laborioſis itineribus, indefeſſiſque ſtudiis & laboribus, & ingraveſcentis ætatis malis, jam quaſi ſimul & ſubitò recrudeſcentibus, fractus, lethalitèr decumbens, animo interim ad extremum uſque vitæ halitum invicto, ſenſibuſque integris, imploratâ Dei miſericordiâ, & meritis Chriſti Salvatoris ſui confiſus, bonâ lætâque beatæ immortalitatis ſpe, cœleſti viatico munitus, ſecundo die Septembris, & duodecimo poſt conſecrationem die, ſexageſimo ſexto ætatis anno, placidè deceſſit, relicto ingenti apud omnes ſui deſiderio. Mox decorâ pompâ elato funere, quod Præſules, qui in Urbe aderant, aliique melioris notæ omnium ordinum, comitati ſunt, illius quod mortale erat, in Sacello Collegii, cui per multos annos, ingenti omnium, etiam invidorum, applauſu, præfuerat, condebatur. Conjux mœſtiſſima, cum non aliud præter luctum inconſolabilem, tenaciſſimam vitæ feliciter cum illo actæ memoriam, perpetuamque virtutum illius admirationem haberet,

ret, quo pietatem & affectum erga defunctum maritum ſeculis venturis teſtari poſſet, monimentum Sepulchrale marmoreum affabre concinnatum poni curavit, cum hâc Epigraphe, huc ex Hibernia tandem ad me tranſmiſſa :

M. S.

Reverendi admodum Viri, *ROBERTI HUNTINGTONI*, nuper Epiſcopi *Rapotenſis.*

EN hìc quod reliquum eſt docti bonique Viri!
Sacros en cineres optimi Præſulis!
Hujus olim Academiæ Præpoſiti digniſſimi,
Cujus ferè omnibus Alumnis bello fractis,
Et à Muſarum ſede ſævâ tyrannide expulſis,
Se (in Angliâ) non Præpoſitum modò,
Sed & Parentem indulgentiſſimum præſtitit.
Eccleſiæ nuper Rapotenſis fuit Antiſtes :
(O ſi Deus voluiſſet ſuperſtitem!)
Fulcrum futurus idem, & tutamen.
Sed heu! citiùs recumbit HUNTINGTONUS ;
Idoneum certè pignus,
Quod vel in Regum Mauſolæis recondatur ;
Niſi quod ſufficiat ſibi in monumentum mortuo,
Qui ſuum ſibi theatrum vivus ſuppeditavit.
Intimus rerum & naturæ indagator,
(Arctiori non contentus Muſæo,)
Extremas mundi plagas perluſtravit :
Ex univerſis reportavit ſcientiam.
Laſſus tandem & experientiâ ſatur,

Requiem

Requiem ſibi quæſivit,
Sed non otioſam.
Quippè Philoſophum excepit Epiſcopus,
Ad hoc ſacri muneris faſtigium
Meritò ſanè, ſed ſerò, provectus:
Ornare, quam nactus eſt, ſpartam properavit,
Laudabili, ſed heù fatali, diligentia.
Acri enim morbo correptus,
(Cui nimis officioſa miniſtrabat
Livida mortis Ancilla, ſenectus)
Utrique impar Adverſario,
Victus occubuit, ſed hilaris Athleta.
Quippe meliori ſpe fretus,
Æternam anhelavit coronam.
Sic demùm fama, fide, & pietate plenus,
Cœlo maturus; ſæculi rixis,
Et ætate ſemper in pejus ruente ereptus:
Ad conſocios feſtinavit Angelos.
Charum omnibus nomen reliquit,
Deſideratiſſimam ſuis memoriam.
Exemplum, quod in promptu eſt mirari,
Utinam & libeat imitari Poſteros.

Hæc pauca de D. Huntingtono, Viro in Patriæ honorem commodumque nato, ſtrictim abſque omni affectatione inanique verborum profuſione adnotanda habui: cujus fama apud omnes, quibus linguarum Orientalium ſtudia arridebunt, præſertim verò apud Oxonienſes, in omne ævum ſacra & integra perſtabit & conſervabitur.

Weſtmonaſterii, XXII. Aprilis, Anno ſalutis reparatæ M. DCC. III.

ADMODUM

Reverendi & Doctiſſimi Viri,

D. *Roberti Huntingtoni*,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, & EPISCOPI

RAPOTENSIS,

EPISTOLÆ.

I.

D. Stephano Petro, Patriarchæ Antiocheno Maronitarum.

Reverendiſſime Pater,

SI Clementiam veſtram ſæpius interpellando, rudem me moleſtumque per aliquot annos præbuerim, donetur illud, precor, zelo, religioſo equidem, licet, fortean imperitiori, quem habeo, veſtri Chriſtianique nominis. Siquidem cum tanto officio impar ſim, neque, uti decet, poſſim adornare provinciam meam; quidni auxilia aliunde advocem fida potentiſſimaque, veſtrumque præſer-

tim ſubſidium & benedictionem? Penes vos eſt authoritas ignoſcendi, copia novos favores exerendi; utriuſque indigeo, utrumque cupio, veniamque veſtram peto, humiliter peto & gratiam. Neque mihi ſolum hoc fiat honori; alias modeſtiores fuiſſent meæ preces, ſed bono publico, ipſiuſque adeò religionis æterno commodo. Nempe ſtatuunt in Anglia libros Syriacos imprimere, & ſpeciatim Sancti Ephremi, quotquot inveniri poſſunt, opera omnia. Deſcendant igitur e ſacro veſtro Monte iſta volumina, quo altius aſſurgant, volitentque per ora hominum, famam rerum, & æternitatem temporis. Scio ibidem aſſervari ipſius Commentarium in Pentateuchum, pluresque alios tractatus; mittantur quæſo ſinguli, quo magis abſolutum perfectumque prodeat opus. Horum pretium ex æquo ſolvet mercator noſtras, Edwinus Browne, quocum, Hieroſolymas tendente, mitto has literas; ipſe etiam numerabit, quot ſufficiant, denarios, in ſequentibus libris coemendis, viz. Bar Bahluli Lexico, Honani Ebn Iſaaci de Medicina, & libro de Conciliis. Deum veneror, quod authoritatem veſtram quam diutiſſime conſervet.

Indigniſſimus Chriſti ſervus,

R. H.

II. *EIDEM.*

II.

EIDEM.

Reverendiſſime in Chriſto Pater,

Literas veſtras, imo benedictiones, Quintilis tertio & Sextilis octavo datas, ſummo cum deſiderio, & eâ, quæ decet, reverentia nuper recepi. Inſignem veſtram charitatem prudentiamque, per utraſque relucentes, agnoſco & veneror. Siquidem, dum immerentem memet laudas, maxime Antiſtes, provocas etiam ad ſtudium, ad pietatem, ad iſta munia obeunda, quæ virum doctum devotumque decent. Faxit Deus, ut tandem firm, quod indigitas me eſſe! Nolo autem falcem in alienam meſſem immittere; nolo captare laudes, quas nequaquam merui, nec poſſum mereri, rerum humanarum divinarumque omnium admodum imperitus, qui ultra Socraticum illud, *nihil ſcire*, fateor me nihil adhuc didiciſſe. (a) Illi, illi tantum, Chriſtiani iſtius codicis interpreti, non mihi, convenit tale elogium. Ipſiuſque nomine liceat mihi interrogare, utrum verſio ſit congrue facta, utrum utilis cenſeatur iis hominibus, quibus Arabica eſt vernacula lingua. Si enim tuo comprobetur ſuffragio, nihil amplius impedit, quo minus edatur cum authoritate, & feliciſſimo, uti ſpero, ſucceſſu. Ideoque ſi uſui forent aliquammulta exemplaria, cu-

(a) Ad illum miſerat D. H. libri Grotii de veritate religionis Chriſtianæ Arabicam verſionem, a D. Pocockio adornatam.

rabo diligentèr, ut quantocyus accipias, & alios insuper ejusdem idiomatis libros, qui religionem spectant & bonum publicum.

Pro libro Medicinali Ebn Isaaci, a doctissimo, mihique multis nominibus colendo, P. Michaele de Nau allato, gratias habeo maximas; neque minores pro emendationibus ibidem tua manu sacratis. Precorque, ne nimio sim oneri & importuno fastidio, ut quoties aliquam denariorum summam in mei gratiam expendas, eandem quam citissimè a Domino Vander Weiden repetere digneris. Huic enim notum fecit suus apud Halebenses amicus & συνεργὸς, D. Conradus Calcburner, ut quascunque expensas ipse, meo nomine ab illo peteres, ille statim sine tergiversatione solveret. Quod & spero illum insuper facturum pro S. Ephræmi operibus, quæ summoperè desidero, & Bar Bahluli Lexico integro & accuratè scripto.

Nostrates (quibus olim licuit esse tam beatis) illustrissimus Dominus Consul, D. Hussey, & D. Sherman omni officio prosequuntur dignitatem vestram, & præ omnibus,

Clementiæ vestræ

Aug. 27. S. V.—75.

Cultor devotissimus,

R. H.

III. *EIDEM.*

III.

EIDEM.

Reverendiſſime in Chriſto Pater,

LIteras tuas $\frac{1}{15}$ Octobris datas non attulit quidem, ſed ad me tranſmiſit, ille, quem commendarit, Maronita, Johannes Benedictus, qui etiam cauſam ſuam ſcriptis egit eruditè admodum, & prout decuit hominem ingenuum & prudentem: licet poſt repetitum, tantæ apud me authoritatis, colendiſſimum tuum nomen, quod devota obſervantia, & qua par eſt, ſemper proſequor venerorque, fruſtra haberentur aliorum omnium preces & poſtulata. Verum enim vero voluntati meæ juſſa tua exequendi cupidiſſimæ in præſenti defuit opportunitas; neque hodie inter noſtrates reperitur, cui non ſit famulus: ideoque, ut cauſa ſua decideret idem Benedictus, exigit neceſſitas & natura rerum, ſi modo obtineat principium illud, pariter ac in Philoſophicis: Intus exiſtens prohibet alienum. Quo autem ſereniori fronte patiatur hanc qualemcunque repulſam, ſciat apud mercatores noſtros non alios eſſe in ſummo loco, præter ejuſdem generis Maronitas: ſciat inſuper, modo hoc ſit ſcitu dignum, quod non oleum & operam penitus perdiderit; quippe qui me invenit, ſemperque pro mea tenuitate inveniet, non patronum, qualem reperire ſatagebat, ſed amicum.

Illuſtriſſime Domine,

Halebi Jan. 28. S. V. A. D. 167$\frac{1}{5}$.

Dignitati tuæ devotiſſimus,

R. H.

IV.

EIDEM.

Reverendiſſime in Chriſto Pater,

QUod literis tuis, ab ampliſſimo Præſule Berytano allatis, ſerius reſpondi, in cauſa eſt mea impotentia; voluntas equidem mandata veſtra exequendi ſatis ampla, cui tamen æquales non reſponderunt effectus. Noſtrates ſiquidem in bonis operibus, & ſpeciatim in redemptione captivorum, multum deſudantes, ipſa ſanè, quam commendas, charitas tenuit, ne precibus meis ulterius fatigarem, & calcaria nimium importuna adderem currentibus. Memet verò quod attinet, minutum meum conjeci in Corban, inter pauperes deinceps erogandum; precorque, ut accipere digneris, non ex ipsâ quantitate, quæ minima eſt, ſed, uti in oblationibus fieri aſſolebat, ex animo offerentis. Precorque inſuper, ut apud prædictum digniſſimum Epiſcopum excuſatum me habeas, quod officio meo deeſſem, nempe citiſſimo ſuo, & prorſus inexpectato, itinere præventus. Illum enim abeuntem ne ſalutavi quidem, quod jam ago, nec per tanti Viri interceſſionem tuas apprecatus ſum benedictiones. Utriuſque authoritatem conſervet Deus, cui me profiteri liceat per omnia obedientiſſimum; R. H.

April 14.—76. S. Ephremi, quæ reperiri poſſunt, omnia opera ſummoperè deſidero.

V. EIDEM.

V.

EIDEM.

Reverendiſſime in Chriſto Pater,

EAdem ſerena fronte, eademque comitate, qua olim Heroes levidenſia ſibi oblata munera recipere ſunt dignati; & ipſe recipis, excellentiſſime Domine, Magnatibus univerſis, & ſpeciatim Eccleſiaſticis, poſthæc in exemplar futurus. Siquidem tenuitatem offerentis non excuſas modò, ſed & inſuper laudas; prout ex litteris Maii 27 exaratis mihimet innoteſcit. Utinam tantæ indulgentiæ non fuiſſem impar, ut qui maximè; utinam eam in poſterum mereri liceat, quam non ita pridem expertus fui, benignitatem. Magna facis, majora promittis facienda; clariſſimum ſanctiſſimumque Ephremum ex tenebris eruere, quo clarior evadat ſanctiorque. Beatitudinem veſtram decet Beatiſſimi Viri opera in lucem emittere, & exorientibus ſuis radiis ipſum illuſtrare Orientem. Diligentiam meam promitto, hominiſque Chriſtiani fidem, in transmittendis Editori ſalvis ſartiſque tectis; promitto etiam pretii ſolutionem, earumque omnium expenſarum, quas vel inquirendo vel exſcribendo impendere tibi contigerit. Diſſimulare autem nolo, exemplaria antiquiſſima, utpote fida magis & accurata, neotericis & recente manu ſcriptis eſſe præferenda. Ipſe autem, quid optimum ſit, optime calles; illudque ipſum tranſmittas precor quam citiſſime vel D. Conſuli

Vanderweyden, vel D. Johanni Langley Anglo, Mercatori, in Tripoli jam agenti, qui denarios ex æquo tibi ſolvet, libroſque curabit, loco & nomine

Authoritati veſtræ devotiſſimi

Halebi 17 Junii (S. Albano dicato die) S. V. 1676.

R. H.
Presbyteri Angli.

VI.

EIDEM.

Reverendiſſime in Chriſto Pater,

NON aliorum jam meditor apologiam, ſed mei ipſius tantum. Ideoque precor, quod ſuſcipere dignareris octo aureos Venetos, quos tandem aliquando, mediante Conſule Petro Vandendrieſſcho, clementiæ veſtræ humillime offero, tenue equidem maximæ obſervantiæ ſymbolum, quam plurimis nominibus profiteor me debere, & præſertim ob S. Ephremi in Geneſim & Exodum commentarios; quos generoſo animo, & feliciſſimo, uti ſperare licet, ſucceſſu in publicum religionis & litterarum gazophylacium nuper contuliſti. Majora inſuper a tanto Viro ſperamus beneficia: vel cætera ejuſdem Patris opera, vel beati Ignatii Epiſtolas, in Syriacam, uti aiunt, linguam verſas. Hujus ſuccedis throno, ſuccedis pietati; ideoque tuum eſt a ſqualore & vermibus Antiochenæ ſedis glorioſum Præſulem

lem vindicare, & tenebris hucuſque obrutum Maronitis Tuis & Chriſtiano orbi luce donare & immortalitate. Si inveneris ubicunque Monaſteriorum tuorum, Librum hunc, veſtrâ dialecto exſcriptum, quocunque pretio redimere vellem, ut in Europa jugis Libani liberiore frueretur aurâ, & privilegiis tanto Authore dignis. Dicitur, Expoſitiones Dionyſii Syri in Evangelia jamjam imprimendas eſſe Syro-Latinè: Quæro a Dignitate tua, quis fuit ille Dionyſius, quo tempore, ubive loci floruit, quid denique ſcripſit? Et ſi volueris, hujus, vel aliorum, quæ edimus, opera accerſam illico, (hic enim ſiſtendum eſt diutius, quam ſperabam) & ſumma reverentia Tibi offeram, eodem planè modo, quo decet,

Illuſtriſſime Domine,

Febr. 24. 1680.

Nomini tuo devotiſſimum,

R. H.

VII.

EIDEM.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Illuſtriſſime Domine,

EX ſuffragiis & benedictione per heſternas tuas literas mihimet impertitis, liceat mihi meam augurari felicitatem, & proſperos in futurum ſucceſſus; neque enim deſpe-

desperare fas est, ubi devotissimorum Virorum, quos exaudit Deus, interceſſerint mediationes. Faxit interim ille, ut ſanitatem meam, cæteraſque divinæ miſericordiæ exhibitiones, in ſuam gloriam, ad quam ſemper collimas, & in deſideratiſſima mea Patria, & ubique, totus impendam. Non leve equidem eſt felicis reditus augurium, quod comitem mihi dediſti, inter Orientales ſanctos, glorioſiſſimum Ephremum; cujus veſtigia dum obſequens premam, dum imitari conor exemplar præeuntis, non facilis aberrabo devius, aut rectum tramitem derelinquam. Quam gratus advenerit Viro illi docto, qui per totum orbem ipſum requiſivit, probè conjectari vales, quantumque honoris tibi deferendum, cui debebit, quod gloria fulgens cæleſti, luce fruatur & immortalitate in terra. Scripſit idem ſanctiſſimus Pater Commentarios in plures SS. Scripturæ libros, quos omnes deſideramus eodem idiomate, quo locutus eſt, Syro, exaratos. Adſunt ejus Homiliæ 52 & Syriacè & Arabicè, & alia ejus opera in bibliothecis harum regionum hucuſque latent, pulvere & ſqualore obruta. Neque alitèr fieri poteſt, ubi religio ipſa tyrannide premitur, ejuſque Profeſſores, quod juſtè quereris, injuſtiſſimis oppreſſionibus. Non impunis loquor, & ipſi patimur, & quid ultra paſſuri ſumus, nondum ſcimus. Utcunque notum faciam D. Conſuli, cæteriſque Anglis Halebi commorantibus, quod in mandatis hac de re mihi dederis, qui ſympatheticè ſe gerunt, & fraterna compaſſione, quantum in illis eſt, reſpiciunt miſeros. Ipſe autem illorum

rum velles mercari affectum, & ex donis tuis vendicare retributionem; quæ ſi ſalva appulerint, dubitare non poteris de debito effectu. Ego interim beneficiis tuis impar, & gratiarum, quas mereris, actioni, precabor, ut, qui ſolus poteſt, omnia tibi largiatur bona, ut diu vivas incolumis, ab exactionibus, tributis, & periculo univerſis immunis, ut videas populum tibi commiſſum virtutibus, religione, & libertate florentem. Denique, ut benedicere uſque & uſque dignareris

Beatitudinis tuæ

In urbe Tripolitana 1680.

Devotiſſimo Cliente,

R. H.

VIII.

EIDEM.

QUantum Beatitudini tuæ debeo propter S. Ephremi opera, plurimaque alia indulgentiſſimi affectus ſymbola, prout ex ultimo ſpecimine 28 Martii dato ſatis conſtat, cum eloquio non valeam, ſilentio quaſi exprimam & veneratione. Multa ſunt, & cæteris, credo, omnibus ignota, quæ de Dionyſio narras, Scriptore, (ut ex literis tuis patet) per Orientalem

lem Orbem famoſiſſimo, & infinitorum pœne voluminum Parente. Accerſivi, uti jubes, Commentaria ſua, quotquot habemus impreſſa, veſtris uſui & bibliothecæ ſacranda. Et ſi qui alii penes nos ſint libelli, Dignitati tuæ (uti conjectari liceat) idonei utileſque, titulos quantocyus ſcribe, &, ſecundante Deo, non diu carebis integris operibus. Sancti Ignatii Epiſtolas non alibi reperio, Syriace verſas, licet ab Ebed Jeſu in Catalogo ſuo, ut probæ notæ, recenſentur: ideoque in te ſpes mea eſt, & quod liber cedro dignus Libani jugis debebit reſurrectionem ſuam & immortalitatem. De Zacharia Maronita, Alexandriæ Sacerdore, non memini me aliquid unquam dixiſſe; ideoque hac in re ignoſcas precor, & etiam atque etiam benedicas

Jul. 1mo 81. *Reverendiſſime Domine,*

Tibi devotiſſimo,

R. H.

IX. *Jo-*

IX.

Joanni Laſcari, Archiepiſcopo Montis Sinai.

Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine,

QUod nullas a Dignitate veſtra hucuſque acceperim literas, illud deſtinato tuo in ſacrum Montem itineri facilis imputabo: & ſi catalogum manuſcriptorum codicum, quotquot in antiquiſſima illa Bibliotheca reperiuntur, tranſcribi curaveris, gratiſſimo opere quatuor hoſce præterlapſos menſes felicitèr redimes, divitemque literato Chriſtianoque orbi theſaurum exhibebis. Exemplar Concilii Florentini, cujus nominatim meminiſti, credo alterius eſſe Authoris, quam quæ impreſſa leguntur. Duo omnino, quantum ſcio, publica fruuntur luce, quorum alterum Georgio Scholario communitèr referunt, quod ſic incipit: Τὴν μὲ ἀπὸ Κωνσταντίνου πόλεως εἰς Ιταλίαν πορείαν, ὡς ἀφήγησιν ἐξ γεγραφῆ ἄξιον ὄντας, ἀλλὰ τὸ μήκος, ταύτῃ ἐάσω: τὰ ὑποπεσόντα ἡμῖν ἐν Βενετίᾳ ὡς λαμπρὰ κ' αἰσθήσιμον, ἔτι γὲ μὲ κ' ἀξίαν, ταύτῃ σημήσομαι. Μηνὶ Φεβρουαρίῳ, &c. Alterum, illudque copioſius, ſcribebat Sylveſter Syropulus. Præter hos libros non vidi integram prædicti Concilii hiſtoriam. Portiunculas quidem, fatepor, & Rhapſodias benè multas a Græcis ut plurimum Latinizatis confectas; a Beſſarione, puta, Eccleſiæ Romanæ demum Cardinale, Demetrio Cydone, Joſepho Methonenſe, Gregorio Hieromonacho, Vecco Conſtantinopolitano, &c. qui

qui defendebant proceſſionem Spiritus Sancti a Patre Filioque. Penes vos ſpero plura ſupereſſe monumenta, luce & æternitate digniſſima; quodque diſputationes, quibus Marcus Epheſius penè ſolus Eccleſiam Græcam tuebatur, integræ conſpiciantur. Cum autem recepero Volumen, quod mihi ſuper promiſeras, inter Ægyptios commoranti, non erit ulterior, credo, quærendi locus, quodve alios deſiderarem hujus controverſiæ Scriptores, uti Nectarium, non ita pridem Hieroſolymitanæ ſedis Patriarcham, qui reſponſum fertur dediſſe Franciſci Richardi Jeſuitæ libro, ſub hoc titulo divulgato †: Τάξις τῆ πίστεως τῆ Ρωμαϊκῆς ἐκκλησίας περὶ τῆ ἀναφόρου τῆ ὀρθοδοξίας. Unus utcunque reſtat (o) libellus, quem magni facerem, modo habuiſſem, utpote a S. Synodo compoſitum, & tali nomine inſignitum: Ἀπόκρισις ὀρθοδόξων πατέρων Ἀνατολικῆς ἐκκλησίας πρὸς τὰς ἀξιώσεις τῆ Ἀναλελειμμένης ἐκκλησίας αἱρετικῶς φρονεῖν ἐν τοῖς περὶ Θεοῦ καὶ τῶν θείων, ὡς καινοφρονοῦσιν ὅσοι αὐλοὶ οἱ καλλίνοοι φιλοῦσι· ζωηθεῖσα παρὰ τῆ ἐν Ἱεροσολύμοις τοπικῆς Συνόδου ἐπὶ Δοσιθέου Πατριάρχου, A. D. 1672. Non licuit mihi, tribus abhinc annis in Sancta Civitate agenti, ultra titulum exſcribere; neque in hunc uſque diem, licet magnoperè ſum conatus, integrum conſpicere; neque licebit, vereor, ſi ipſe non occurreris, tanquam Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, & alias deſperanti auxiliatricem manum porrexeris. Vellem equidem intelligere, cùm ex una parte contra Papicolas, ex altera contra Calvi-

† Nuper Latinè publicavit D. Allixius Londini M. DCC. II.
(o) Liber iſte excuſus eſt Pariſiis. edit. ſecundæ, 1678.

niſtas

nistas pugnatis, si Ecclesiam Anglicanam, neutri horum, sed veritati addictissimam, præteriisse tis intactam. In Polemicis ferè accidit, ac, ἐν τῷ πολέμῳ, ubi narrante Thucydide, οἱ ἐν μέσῳ ἀμφοτέρωθεν κλίνουσι. Telis petimur utrinque, & cum apud vos etiam ita se res habeat, quid impedit, quo minus sub uno vexillo crucis, uno salutis Duce sociatis viribus militaremus? Cum libros tuos feliciter transmiseris, mitte etiam & mandata, qualia in ipsis pervolvendis edendisve velles, ut exequantur. Grati procul dubio advenient Anglis universis, gratissimi ipsorum infimo & indignissimo, vestro autem nomini devotissimo.

R. H.

Halebi Feb. 10, 1680. *Ubi non comparente hactenus Successore meo, per plures aliquot menses par est, ut commorer.*

Si D. Ignatii Epistolæ Syro, Græco, vel aliquo alio idiomate, apud vos scriptæ, retineantur, vellem eas quocunque licet pretio redimere.

X.

EIDEM.

Reverendissime & Illustrissime Domine,

SI prolixa illa & verbosa Epistola, quam hesterno die, per Damascum & mediterraneas vias, Clementiæ vestræ dirigebam, sarta tecta appulerit Ægyptum; non opus erit apologia, si paucioribus verbis hodie scripsero. Exinde consta-

conſtabit officium & pietas mea, quibus, abſens licet, Beatitudinem tuam devotiſſimè proſequor, religionis itidem & literarum incrementa. Reſponſum Græcorum contradicentibus Latinis obnixé rogavi; etiam & Libellum, Hieroſolymis, non ita pridem, elaboratum, contra Calviniſtas, quos vocant, & id genus alios, ab Eccleſia Romana dudum ſeparatos; inſuper Catalogum Codicum omnium, qui in inclyta celeberrimi monaſterii Bibliotheca latitant, Manuſcriptorum; denique Epiſtolas beatiſſimi Martyris Ignatii, Præſulis Antiocheni, quocunque idiomate, præſertim Syriaco, exaratas. De nobiliſſimo illo opere, Principe, uti aiebas, digniſſimo, nihil eloquor; quippe qui ſuſpicor jamjam tranſmiſſum fore, & forſitan nonnulla alia, illuſtri Conſuli Gaſparo, vel populari viro, Onufrio Blower Mercatori, in ædibus ejus agenti Alexandriæ. Quicquid expenſarum feceris, ex æquo ſolvet vel prædictus Onufrius, vel Ipſe ego, dummodo Halebi egero; & hic ſanè agendum eſt mihi per annum ferè, nempe deſtituto, cujus adventum anxiè ſperabam, ſucceſſore. Succurras interim, impensè rogo, benedictionibus veſtris,

Reverendiſſime in Chriſto Pater,

Febr. 11. 1680.

Servo tuo humillimo & obſequentiſſimo,

R. H.

XI. *EIDEM.*

XI.

EIDEM.

UNA & altera elapſa eſt ſeptimana, ex qua binas Beatitudini veſtræ, per Damaſcum & Tripolim, per Mare ſcilicet & terram, tranſmiſi literas. Neque verebor actum, non dicam, agere, ſed iſtius actionem repetere; uſque dum ipſe authoritate tua libertatem hanc meam reſtrinxeris ſaltem, ſi non & abſolute damnaveris. Oxonii jam meditantur plurium librorum editiones, qui vel religionem, vel linguam Græcam, bonaſque Artes, poterint illuſtrare. Duos præſertim nomino, Divum Ignatium, Antiochenæ ſedis beatiſſimum Præſulem, & Joſephum, Judaicæ Antiquitatis & Hiſtoriæ peritiſſimum. Ideoque ſi horum Exemplaria, penes vos habeantur manu deſcripta, mittantur, humillimè obſecro, Domino Onufrio Blower, Mercatori Anglo, Alexandriæ agenti, (etiam & incluſa epiſtola) qui illico expenſa tibi omnia ex æquo ſolvet, debitoque tempore remittet, modò velles, prædicta exemplaria, & inſuper ipſorum Ectypa nonnulla impreſſa. Inter alia typis ibi excuſum eſt Synodicum ingens, duobus Vol. comprehenſum, Gr. Lat. & Jo. Antiocheni Malalæ opus Hiſtoricum, nunquam antea editum, & indies excudendi ſunt plures Patres Græci aliorumque celeberrima opera. Ignoſce precor, reverendiſſime Pater, & benedicito

Martii 6. 16$\frac{4}{5}$. *Devotiſſimo tuo*, R. H.

XII.

EIDEM.

Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine,

DEcimo tertio hujus menſis, literas mihi ſcripſit conterraneus meus, Onufrius Blower, Mercator, in ædibus D. Conſulis Gaſpari, agens Alexandriæ: quibus ne mentionem quidem fecit Beatitudinis tuæ. Ideoque ſuſpicari licet, quod è Monaſterio ſanctæ Catharinæ in monte Sina nondum fueris reverſus, quoniam venerabilem tuum librum prædicto non expediveras, in Angliam tranſmittendum. Niſi fortean conſultius judicaveris, ope comitis mei, Noſir Chriſtiani, vel alicujus alterius, hucuſque demittere. Neque enim ante Natale, uti vereor, eſt mihi diſcedendum, quandoquidem cum claſſe noſtra, in anchoris jam ſtante Scanderonæ, non appulit Presbyter, qui abituro, more patrio, ſuccederet. Utcunque de mora hac mea minus dolebo, dummodo recepero, quas avidiſſime cupio, literas tuas & benedictionem. Spero inſuper & promiſſa volumina, &, quæ toties efflagitavi, catalogum manuſcriptorum omnium codicum, qui in Sacro monte reperiuntur latitantes; Antiquitates cæteraque Joſephi Hebræi opera Græcè, & S. Ignatii Epiſtolas, ſi fieri poſſit, Syriacè. Expenſas non renuo, qualeſcunque fiant, quas ex æquo tibi ſolvet ſæpius nominatus D. Blower. Valdè ſiquidem aveo ſub auſpiciis tuis pluribus benefacere, Rempublicam

licam literariam & religioſam aliquantulum demereri, illuſtriſſimum tuum nomen Eccleſiæ Anglicanæ Proceribus commendando, & æternitati. Faxit Deus, quod non ſint vana, quæ mihi ſola ſuperſunt, vota

Halebi ſcribebam ipſo Annunciationis die 87.

Tui ſtudoſiſſimi

R. H.

XIII.

EIDEM.

Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine,

QUod altera vice in Ægyptum deſcendi, id ſanè ex ſumma illa, qua Beatitudinem tuam proſequor, veneratione ut plurimum proficiſcitur. Vellem enim benedictione & libris tuis olim promiſſis armatus, Patriam meam tutior gratiorque inviſere. Sed, cum ob a me maxime deplorandam tuam abſentiam non liceat mihi eſſe tam beato, precor, ut hiſce omnibus in poſterum gaudeam fruarque. Ego enim authoritate tua fretus, non ſolum reſponſum Græcorum contra Latinos, ſed & Hiſtoriam etiam illam a te verſam; & auguſtiſſimo meo Regi dedicandam, Præſulibus nonnullis & Eccleſiæ Anglicanæ Antiſtitibus pridem innuebam. Fides jam laborat mea, & penes te eſt, digniſſime

Virorum, ut ſartam tectam conſervem, & animam liberem meam.

Inſuper, pluribus literis, &, modo appulerint, ad nauſeam uſque repetitis, alios etiam deſideravi Codices, tuo, hoc eſt, æquiſſimo, pretio redimendos: quales ſunt, D. Ignatii Epiſtolæ, vel Græco vel Arabico, & præſertim Syriaco, idiomate conſcriptæ; Concilium illud Florentinum, a nemine hucuſque editum; Joſephi Hebræi opera Græcè; Julii Africani Chronicon; & Hiſtorici, Mathematici, & Poetæ antiquiſſimi. Neque iſtiuſmodi in rem meam cupio, ſed in publicam; cujus gratia expenſas ſolvam, qualeſcunque huic rei dijudicabuntur neceſſariæ.

Auſus ſum tibi libros præſentare, qui Viro ſancto maxime conveniunt, ſanctiſſima Biblia, Græcè exarata: etiam & Officium Eccleſiæ noſtræ, Arabicâ Linguâ expreſſum: S. Clementis ad Corinthios Epiſtolam, omni procul dubio genuinam, & bina Æra optimis figuris inciſa. Et probè ſcio, quod nolles illa reprobare, cum teſtimonia præbent certiſſima

Cairi ſcribebam Decembris juxta computum antiquum 10mo anno D^ni incarnati 1681.

Nomini tuo devotiſſimi
R. H. *Eccleſiæ Anglicanæ Presbyterorum infimi indigniſſimique.*

XIV. Re-

XIV.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & illuſtriſſimo Domino, D. Hilarioni Cigalæ, miſericordia divina Novæ Juſtinianæ Archiepiſcopo, & totius Cypri Primati.

Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Illuſtriſſime Domine,

QUidni ad Orientem convertant oculos in occiduo ſole caligantes, & eos locos petant, quos homines imprimis habitabant ingenio & ſapientia illuſtres? Patere igitur ignotum, & alio planè orbe, Britannia, oriundum, lucem inveſtigare, & regiones nativo ſplendore inclareſcentes. Cyprum appuli ob tui potius, quam Inſulæ, famam, quem abſconditum cum intellexiſſem, claro licet die, verſabar in tenebris. Tu enim ſolus dirigere vales errantem calamum; tu ſolus reſtaurare deperditas antiquitates; tu ſolus & detegere & interpretari recondita volumina, reconditæ procul dubio eruditionis pleniſſima. Ad te igitur confugio, cum primum emerſeris, (quod faxit Deus quam citiſſime) ut libros, cæteraque Oecumenicæ tuæ juriſdictionis monumenta, eorum ſaltem notitiam impertiri mihi dignareris. Expenſa omnia qualiacunque ſpondeo Tibi ex æquo ſolvenda, (quæ meo nomine ſolvet Franciſcus March, Larnacæ adhuc agens, & eo abſente, illuſtris Anglorum Conſul) & inſuper

maximas gratias: quas & jam reddo, licet haud dignas ob tranſcripta quædam Synodi veſtræ Capitula, & utinam habuiſſem omnia. Si cupias quoſcunque libros, qui Eccleſiæ & Dignitati tuæ uſui forent, catalogum eorum mitte, & acerſam illico ex Europa, eoſque ingenuè tibi offeram. Inter nos ſiquidem (de communi fide, haud inſulis, haud perſonis, eloquor) non immenſa eſt diſtantia, prout ex Liturgia Anglicana in Græcam linguam transfuſa, & tibi jam oblata, facilè innoteſcat. Largiatur Deus, precor, Eccleſiæ ſuæ concordiam, pacem, & felicitatem; benedicaſque,

Ex ædibus Dni Franciſci March in Larnaca Feb. 16to A.D. 1677. Stylo Anglicano.

Reverendiſſime Domine,
Tibi devotiſſimo R. H.
Anglis Aleppi commorantibus a Sacris.

XV.

P. Michaeli Nau, Soc. Jeſ. Presbytero Mardini.

Reverende admodum Pater,
& Clariſſime Domine,

QUam infelicem me duxerim, ob improviſum tuum & properum diſceſſum, amiciſſimo noſtro, P. d'Hedicourt, ſæpius querebar; qui etiam tuiſſimis verbis placidaque commemoratione dolentem mihi animum blandè lenivit.

lenivit. Ulterius autem conqueri nefas eſt, quoniam literis tuis Nonis Auguſti datis, edoctus, ſentio te antiquum obtinere, eandemque, quam olim expertus ſum, ſemper profiteri humanitatem. Neque me ſolum obligas, ſed & populares meos, quos Juvenis Angli in Meſopotamia demortui ipſe primus certiores feciſti. Natalitia hominis Chriſtiani non licet deflere; auſpicatò ſatis iter ſuum ingreditur, qui ab ipſis penè carceribus minimoque dimenſo ſpatio, curſum abſolvit, metam attingit, coronamque reportat. Plura de Babylone, ab iis hominibus, quibus & ipſe & ſupellex ejus concredebantur, illico expectamus.

Et ne qua tibi defuerit, Vir optime, occaſio, quam imponsè ambigis, benefaciendi, ecce opportunitatem. S. Ephraim, (uti proferunt Orientales) Vir, ſi quis alius, non ſolum per mediamnem veſtram inſulam, ſed & toto orbe celeberrimus, plurima compoſuit & excellentiſſima opera; quæ tamen imperfectè admodum, ne pejus dicam, in Europæis regionibus leguntur. Et res eſt planè deplorata, dummodo aliunde, quam ex Oriente, lucem illis accerſiverimus & remedia. Ad te igitur recurrimus, in hiſce plagis quam optime verſatum, ſuppliceſque oramus, ut in patria ſua natalique ſolo magni Ephremi monumenta inveſtigares, Prophetamque Syrorum & ſuis redderes & alienigenis, omnibus numeris abſolutum. Deliteſcunt procul dubio, Neſtorianos inter & Jacobitas, *Commentarii*, quos compoſuiſſe dicitur in univerſum fere vetus Teſtamentum; *Epiſtolæ ejus de fide Eccle-*

ſiæ, Diſputationes cum Judæis, & adverſus Hæreticos varios, Orationes diverſæ, aliaque. Quicquid horum conſcriptum eo, quo uſus eſt, idiomate Syriaco, reperire potes, eme precor, & in uſum Literati Chriſtianique orbis Halebum mitte, in Angliam deportandum. Ibi enim vir doctus, & Linguarum, Syræ præcipuè, peritiſſimus, editionem meditatur prædicti Authoris, ex antiquiſſimis quaquaverſum Manuſcriptis, ſumma cum fidelitate, exprimendam. Ob eandem cauſam *D. Ignatii* (ס אֲ Θεοφόρος) *Epiſtolas*, Syriacè verſas, ſummoperè deſidero: Lexicon denique ס Bar Bahlul, ditiſſimum Syriaci idiomatis theſaurum. Expenſas tuas hac in re qualeſcunque, & quo tibi placet modo, ex æquo ſolvam. Etiam & in anteceſſum, ſi tibi viſum fuerit, denarios numerabo. Fortunet te Deus, & opera tua, quod vovet

Halebi 3° Nonas 7bris — 81.

Paternitati veſtræ addictiſſimus R. H. *Domini noſtri J. Chriſti ſervus infimus & indigniſſimus.*

XVI.

EIDEM.

Reverende admodum Pater,

QUod duabus abhinc ſeptimanis longa & verboſa epiſtola feci, illud jam repeto con-

contractius quidem & paucioribus verbis. Agnoſco imprimis humanitatem tuam ad omne bonum opus paratam : ac proindè obnixè rogo, ut S. Ephremi opera, qui præter Poemata, Orationes, & Controverſias, varia in univerſum penè ſcripſit vetus Teſtamèntum, inveſtigare ſatageres, Syriaco, h. e. vernaculo ſuo idiomate, expreſſa : inſuper & D. Ignatii Epiſtolas, in eandem linguam antiquitus verſas, eaque omnia & ſingula, quocunque pretio redempta, tranſmittere,

Septemb 17. 1681.

Vir doctiſſime,

Servo ſuo devotiſſimo,

R. H.

Si negotium iſtud ad religionis & literarum incrementum unicè ſpectans in te ſuſcipere non gravaberis, tibi annumerabo denarios, quos ſupputas neceſſarios, cæteraſque ſolvam cujuſcunque generis expenſas, & infinitas inſuper gratias.

XVII.

D. Conſuli de Segla, Cairi.

Ornatiſſime Domine,

NE ſuccenſeas, quæſo, quod favorum tuorum recitationem uſque & uſque ingero; quod moleſtiam tibi abſens exhibeo, nec minorem, quam exhibuiſſem olim, dummodo in generoſa tua familia hoſpes, licet indignus, hæſerim,

ſerim, & per plures ſeptimanas Cairi victitaverim. Hoc enim itinerantibus pro ſolatio eſt privilegium. debitum, & quod nullus abripiet dies, anteactæ vitæ curſum remetiri, reſque, tempora, & perſonas, præterita coram ſiſtere, ſecundiſque cogitationibus, ac proinde melioribus, conſiderare. Neque ſuper audacem Pyramidum molem, cœliſque ipſis minitantem, exploratius cernebam ſubjectas terras, quam, e longinquo licet, jam proſpicio Ægyptum ipſam, & ingens Ægypti ornamentum : admiſſaque jucunda hac fingendi licentia, accuminata illa faſtigia iterum aſcendo, quo clarius intuear præſtemque officium meum, Domino de Segla debitiſſimum, quoque ſummiſſius deſcendam, utpote tanti Viri decentior ſervus humillimus & devotiſſimus.

R. H.

Halebi 10 Febr. 1680.
Stylo Anglicano.

XVIII.

Reverendo admodum Patri, P. Brunoni, S. Miſſionis Cuſtodi, Sidone, ſalutem precatur R. H. Presbyter.

QUid hoc eſt, inquies, reverende Pater? Audetne ignotus, & toto diviſus orbe Britannus, res meas ſerias, & religionis plenas, ſuis interpellare nugis? Neque equidem grandiorem mereantur titulum, ſi magnis componere

ponere parva liceret, quæ jam meditor efferoque. Scilicet lapides, mineralia, ſtirpes, & ſemina rerum efflagito; ſed quæ rariora ſunt, & Europæis uſui cedant, oblectamento, vel admirationi. In terra Canaan, fertili miraculorum parente, & ipſa natura miraculosè agit: piſces parturit, olivas, cucumeres, petrifacta omnia, & Niobis adinſtar in ſaxa converſa. Ipſum etiam littus haud infœcundum geſtit uterum, conchas paſſt & teſticulas, mira varietate delectantes. Quæquid inſuper illud ſit plantarum inſignium, quas vel Phœnicia ſola producit, vel vicinæ regiones; ſycamorum Ægyptiacam, papyrum, goſſipium perenne, balſamum fruteſcens, aut hujuſmodi: & præ hiſce levioribus, S. Ephremi opera, quotquot in monte Libano reperiri poſſunt, Syriacè ſcripta: cures, obſecro, D. Joannis Langley, Anglo, Tripolitanos inter commoranti tranſmittenda: qui certiorem te faciet de omnibus, impenſaſque ex æquo tibi ſolvet, & grates rependet, quibus ego impar, non ſum ſolvendo. Neque mihi ſolum imputa jacturam hanc qualem qualem ſacrati tui temporis: ſed philoſophiæ, ſed religioni. Aliorum ſiquidem nomine ſciſcitor; qui Phyſicis, qui Theologicis toti incumbunt promovendis. Scio igitur, quod illos omnes demereberis; & orbem literatum Chriſtianumque tibimet reddes in æternum obſtrictos. Vale feliciter. Dabam Halebi VI Kalendas Martii CIↃIↃCLXXVI. Stylo vet.

XIX. P.

XIX.

P. Modeſto Capucino Roſettæ.

QUotieſcunque digniſſimum Conſulem D. Rynaud, in memoriam revoco, revoco autem quam ſæpiſſimè, ipſe etiam occurris multis nominibus plurimâque amicitiâ colendus. Hoc enim vel excellenti tuæ indoli debetur, vel ſolido judicio, quod peregrinum hominem & planè erraticum non ſolum in hoſpitium, ſed etiam ſinum tuum exceperis; quod cibis quantivis pretii, magiſque pretioſis ſermonibus, eum refocillaveris. Tibi refero acceptum, quod in domo ſervitutis liber incedebam, quod in Ægyptiis tenebris lux mihi oriebatur, quod in univerſali illo diluvio, quale populos barbarie penitus obruit, æquè ac Nilus terras inundatione aquarum, intactus & ſicco pede præteribam. Ideoque detur mihi illud confitendi venia, cui omne tempus, omnis locus, non incongruè inſervit. Et liceat hic illud agere, (cum nimium non poſſim) quod alias ſæpius egi. Non queror negligentiam tuam, vel reciproci affectus defectum, licet nullas hucuſque acceperim literas. Scio enim opportunitatem magis, quam animum ſcribendi deeſſe. Si autem illa acciderit, poſſes vel per Tripolim, Cyprum, aut Scanderonam deſideratiſſimæ tuæ valetudinis notitiam, ac inſuper Mumiam illam, quam famulus

lus meus in ædibus insignissimi Consulis reliquit, auspicatò transmittere,

Virorum optime,

Tibi astrictissimo,

R. H.

Reverendum admodum P. Franciscum Carolum Aurelianensem ne præterirem insalutatum, tuum imploro auxilium fidemque.

XX.

EIDEM.

Reverende Pater,

SI modo appulerint literæ, quas vela facturus, in ostio Nili, Paternitati tuæ scripserim, demonstrare poterant animi non ingrati prorsus neque turbulenti vestigia. Iis siquidem & festinante calamo & effuso in gratiarum actiones spiritu, & temet allocutus sum, & generosum meum Hospitem, integerrimum Virum, D. Consulem Rynaut: cui si sermone tuo proprio eleganti, & aptè significativo, obsequia mea & debitam tanto Amico observantiam effari fueris dignatus, illud recensebo inter cætera benignitatis tuæ officia, quibus tecum conversantes indies promereris. Agnosco pacatam in oppositionibus tuis & nomini tuo congruam mentem: ideoque si qui accentus justo vehementiores, quod solitum nimis, exciderint mihi replicanti, pro eximia tua, qua polles, humanitate precor, ignoseas,

ignoſcas. Faxit Deus, ut ſtudiis partium in æternum depoſitis, non aliter contendant Chriſtiani nominis Profeſſores, quam religionem decet, pro fide Sanctis olim tradita: ut vitam degamus ſobriam & pacificam in omni ſanctimonia & virtute. Hæc vota ſunt & ſuſpiria, hæc conamina qualia qualia, & quotidianum penſum tibi obligatiſſimi, Domini noſtri Jeſu Chriſti in eccleſia ſua, quæ Halebi eſt, Anglicana, ſervi humillimi & indigniſſimi.

R. H.

Dabam in Tripoli, notiſſimo Syriæ emporio, Novembr. 19. S. V. 1680.

XXI.

P. Raphaeli Ventayol, Præſidi Franciſcanorum Damaſci.

Reverende admodum Pater,

QUantum me debuiſſe Paternitati veſtræ non ita pridem in Halebo, quantum inſuper me eſſe debiturum in Damaſco Præſidenti, nec tacere poſſum, nec benè eloqui. Utcunque agnoſcere liceat humanitatem illam, quam toties ſum expertus, ſuccreſcenteſque de futuro ſpes præſcribere. Hoc equidem & officium meum poſtulat, & preſens ſuadet opportunitas. Quippe è noſtratibus nonnulli Hieroſolymam tendentes ad venerandum ſacra illa loca, ſanctiſſimumque

mumque præſertim Sepulchrum; quo auſpicatior evadat illorum peregrinatio, tuam Reverentiam primo ſtatuunt adire, prævlamque obteſtari benedictionem. Nec dubitare fas eſt, quin ipſe, boni juſtique fidus conſervator; advenas recipere, feſſos ſublevare, ignorantes addocere, errabundos, & veſtræ Civitatis penitus inſcios, in viam rectam ducere placidus dignaberis. Præterea, quaſi hoc non fuiſſet moleſtiæ ſatis, veſtram operam inſuper deſidero in conquirendis coemendiſque iis libris, quorum proficiſcenti tibimet exhibui catalogum. Quicquid illud ſit curæ & laboris, uti non eſſe exiguum ſcio; non mihi equidem, qui nullius ſum nominis, ſed Reipublicæ literariæ, etiam & Chriſtianæ, refer impenſum. Bona opera nunquam fraudantur ſua mercede, & qui religioni rectè incumbit commodoque Catholico, promeretur Deum. Illum, ſi quid valeant preces, maximè apprecor, ut ſit ipſius gloriæ & literarum profectui Paternitatem veſtram quam diutiſſimè ſervaret incolumem.

R. H.

Feb. 17. 1675. S. V. *Anglis Halebi agentibus a Sacris.*

XXII.

EIDEM.

IN nuperrimis tuis 10 Julii datis, lego indefeſſam tuam atque indies accreſcentem benevolen-

volentiam, quod librum capſulamque, tibi commiſſa, eodem, quo vellem, modo, Neapolim & Hieroſolymam ſumma cum cura ſideque direxeris; quodque Epiſtolas ſancti Ignatii, Syriaco præſertim idiomate verſas, inveſtigare ſtudiosè contenderis. Faxit Deus, ut in hac cæteriſque, quas aggrederis, rebus, omnia ſuccedant proſperè, ad votum tuum, maximumque, quo teneris, benefaciendi animum.

Volitat per hanc Civitatem fama (fama, tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri) e Damaſco profecta: ſcilicet Armenum quendam, prædictæ urbis incolam, ad defectionem a fide ſua ſolicitatum, Mahometanorum illecebras omnes, & minas, & promiſſa nobilitèr contemſiſſe, majoreſque divitias æſtimantem theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti, Martyrii coronam gloriosè reportaſſe. Dicitur inſuper, fulgidum jubar, cœleſtis luminis æmulum, ſancto corpori aliquandiu illuxiſſe, aliaque, neſcio quæ, comparuiſſe miracula. Cum autem in his regionibus lubrica adeo ſit Authorum fides, ut vulgo enarranti non liceat tutò credere, cupio ab homine veraci & indubitatæ fidei edoceri. Ideoque Reverentiam tuam invoco, Virorum optime, ut hiſtoriam hanc integram, una cum circumſtantiis debitis, exſcribere, eamque conceptiſſimis tuis verbis, eodemque, quo ſoles, affectu, tranſmittere digneris

Halebi Julii 18. S. V. 1681. *Tibi devotiſſimo,*

R. H.

XXIII.

EIDEM.

Inſigniſſime Domine,

EX literis tuis perſpectum habeo indeficientem Domini noſtri erga humanum genus amorem; quemadmodum vires præbet & intrepidum cultoribus ejus animum, & in tenebris manifeſtat lucem; pauperes ditat, & idiotas doctos reddit & ſapientes. Sic enim illi viſum eſt dona dare hominibus, & homunciones, terræ filios, cœlorum conſtituere hæredes; vulgares & deſpectui habitos ad diademata promovere, & immarceſſibiles Martyrii coronas. Nobis ſiquidem exultare licet propter gratiam fratri noſtro conceſſam. Plaudunt Chriſtiani omnes, quod unus vincit, & Europæi participes fiunt victoriæ, cùm Armenus triumphat. Rara ſunt hujuſcemodi virtutis exempla, & mihi ſufficit admirationi, quod juvenis, ætatis ſuæ & voluptatum, imò divitiarum & honorum, illecebras, mortem denique, terrorum regem, auſus eſt contemnere. Aſpexit autem in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta atque in dextra ſedis Dei ſedet. Præter hoc, quod ſanctè aſſeris, non alia quæro ſuperſtitioſus miracula. Faxit idem Deus, quod gloriæ ſuæ vivamus ſemper, & eidem denuò moriamur. Hæc verba ſunt & ſuſpiria.

Paternitati Tuæ addictiſſimi, R. H.

Halebi Sept. 13. 1681.

XXIV.
EIDEM.

CUM de Orientis rebus agitur, cui potius recurram, quam Paternitati tuæ, celeberrimæ harum regionum indagatrici? Te igitur ſupplex obnixuſque appello, ut inveſtigare dignareris, meique, imo ipſius religionis, gratia redimere S. Ignatii, Patriarchæ Antiocheni, Epiſtolas, Syriaco idiomate ſcriptas. Suſpicor eas inter Jacobitas deliteſcere, & quod ipſorum Archiepiſcopus Damaſci agens, vel ipſe, teneat vel aliunde reperire poſſit. Ne gravare, precor, dictum Præſulem hac in re adire, curioſeque ſciſcitari: & ſi felicitèr inveneris quæſitum librum, quam citiſſimè tranſmittere. Sacerdos ille Georgius, quem animitus ſaluto, & cui nuper per reverendum P. Nau beneficum me geſſi, non, uti ſpero, inquirendi laborem negliget, neque onus hoc, cui non impar eſt ferendo, averſabitur. Incluſæ ſunt cuidam Samaritano Mopherrege dicatæ literæ; quas velim, ut arrepta prima occaſione diligentèr mittas, & promereri uſque & uſque pergas, plurimis beneficiis ſæpius diuque

Tibi devinctiſſimum,

Martii 11. 1681.

R. H.

Prelo mandantur in Anglia Commentarii cujuſdam Dionyſii in quatuor Evangelia: Syro-Latinè. Quæras, Vir optime, quis fuit ille Dionyſius, quo tempore floruit, quidve aliud ſcripſit.

XXV.

XXV.

Patri Paulo Bertoni Hungaro Hieroſolymis.

Reverende admodum & chariſſime Pater,

GRatæ mihi ſemper adſunt literæ tuæ, & quibus non aliæ gratiores; ſpirantes undique candorem & integerrimi Amici affectus. Verum enimvero quas ultimo accepi, 29 Aprilis datas, triſtitiam excitant, & graves animi perturbationes. Docent me ſiquidem tuam infirmitatem, &, qua diu (ah nimium diu) laborâſti, ægritudinem. Precor autem clementiſſimum Deum, (ſiquid valeant miſerrimi peccatoris vota) ut ſtatim convaleſcas, felicique per longam annorum ſeriem fruaris vitâ; & tandem, ante beatam immortalitatem, exoptatiſſima εὐθανασίᾳ. Grates tibi perſolvo, licet non dignas, ob collata in D. Cliſton conſilia tua & beneficia; nec non ob operam, fidelem quidem, etiamſi irritam, in libris Copticis inquirendis, mei gratia navatam. Uſque tamen & uſque non deſino patientiam tuam negotiis laceſſere. Demandatam mihi ex Europa habeo provinciam, cui ſine auſpiciis tuis impar ſum ornandæ. Dicunt Græcos habuiſſe Synodum in Bethelehem: quo autem tempore conveniebant, non aſſerunt; videtur autem fuiſſe non multis retro ab hinc annis. Obteſtor igitur tuam hac in re diligentiam; & ſi quam Synodum inveneris ibidem quocunque tempore celebratam; tranſmittas quæſo ejuſdem conſtitutiones omnes ſeu canones;

Episcoporum & Metropolitarum numerum illic suffragantium; conventûs durationem; & circumstantias cæteras huc spectantes: sitque (si modò fieri possit) universa narratio confirmata & authentica reddita, sub manu & sigillo Notarii alicujus publici, vel aliorum Græcæ Ecclesiæ Antistitum, quibus id officii incumbit solenne. Scio hoc tibi constabit dispendio temporis & denariorum; sed primum cumulatum rependet ille, cujus est duratio æterna; alterum ipse tibi reddere curabo; insuper & gratias per omne ævum debitas, ea quidem reverentia, quâ decet,

Colendissime Pater,

Halebi 19. Maii, 1677.

Tibi addictissimum,

R. H.

XXVI.

EIDEM.

Reverende admodum Pater,

QUod salvus in Damascum hac secunda vice appuleris, usque & usque gratulor; præcorque, ut prosperè omnibus, & speciatim valetudine, fruaris. Si quid mihi præter vota superfit, (uti fortean post adventum nostrarum navium, quas ab uno aut altero mense expectamus, tale aliquid accidat) illud, quicquid illud sit, scias velim penes esse tuam authoritatem. Nuperas tibi, Hierosolymis, ubi credebam,

debam, agenti, dedi literas; quibus in ſubſidium mihi vocare non verebar judicium tuum & rerum uſum; ut certiorem memet faceres alicujus Synodi, neſcio quo anno, in Bethelehem à Græcis celebratæ, ejuſque ſanctiones omnes & acta tranſmittere dignareris. Rogo inſuper, ut opera nonnulla Syriacè exarata S. Ephremi, quicquid reliquum ſit, Bar Bahluli Lexicon, Gregorii, vel Georgii potius cujuſdam, Hiſtorica (quæ memini me vidiſſe in ædibus Patriarchæ Jacobitarum, & Homeri verſionem, quæ in Catalogo Damaſceno ſub hoc titulo occurrit, exquirere velles.

Et ſi quid Hiſtorici argumenti vel Eccleſiaſtici vel Civilis tibi occurrat Arabicè ſcriptum, illud etiam redimas, & ſub nomine Joannis Mariæ Procuratoris veſtri Halebi, mittas, obſecro,

Halebi 5. Julii. 1677. *Paternitati veſtræ addictiſſimo,*

R. H.

XXVII.

D. Angelo a Sancto Joſeph Carmelitæ, Baſſoræ.

Reverende admodum & doctiſſime Domine,

IGnoſcas, precor, homini ignoto, & toto diviſo ab orbe Britanno, ſi ſtudia tua & devo-

tiones audax interpellaverit. Literas equidem, & præſertim ſacras, impenſius amo; etiamſi (non inuſitato depereuntium infortunio) eas non habeam redamantes: ideoque Virum ingenioſiſſimum, ſcientiis, linguiſque, & experientia rerum, ſi quem alium, copioſiſſimè inſtructum, liceat mihimet in partes advocare, quo laboranti ſuccurrere dignaretur. Nec ficta proloquor, pro more & formâ compellantium clariſſimos, &, uti ſperari fas ſit, in futurum, benefactores; ſed nuncia veri: quæ Gentili meo, D. Gulielmo Gore, non ita pridem a Baſſora reduci, homini ſobrio, & vanitatis neſcio, refero gratiſſime accepta.

In honorem igitur D. O. M. & pro ſummo illo honore, quo religionem proſequeris, & literarum incrementa; Chriſtianorum ſectam, a D. Johanne Baptiſta denominatorum, diligentèr perveſtiga, diſcute, expende. Habentur enim in Baſſora & circumvicinis pagis (neque alibi, quod ſcio) Chriſtiani quidem, illi Sancto ſpecialitèr devoti: (uti in India nonnulli D. Thomæ.) Quænam ſit forma illorum fidei, quomodo ab aliis omnibus, eundem ſanctiſſimum Servatorem colentibus, præcipuè Europæis, differant, intelligere geſtio: & ſi quas habeant Liturgias, precationum vel hymnorum formulas, SS. Bibliorum Verſiones, aut Homilias, ſuæ ſectæ proprias, illas etiam exopto. Expenſa quæcunque ex æquo tibi ſolvet, qui reditum tuum (precor, feliciſſimum) ocyùs expectat Jo. Maria Maunier, Religioſorum per haſce regiones, uti vocant,

vocant, Procurator: & ego insuper grates exhibebo, quantas possum, maximas.

Halebi 17. Mart. 1676. S. V.

Paternitatis vestræ admodum reverendæ studiosissimus,

R. H. Sacerdos
Anglis Aleppi agentibus à Sacris.

XXVIII.

EIDEM.

Reverende admodum & Clarissime Domini,

EX literis tuis 27 Maii, quas hesterno die, nec sine bonis auspiciis, accepi, benevolentiam tuam percipio, promptumque ad omne bonum opus paratumque animum. Nec supplici tuo, audaciori, quam par fuisset, & magis importuno, solum ignoscere dignatus es, sed & insuper errantem dirigere maleque doctum veritate, certissimâque rerum naturâ, instruere atque erudire. De Sabiorum cultu, ceremoniis, & superstitione per Orientem olim diffusissimis, fateor equidem nonnulla me legisse, sed mutila omnia, informia, & (veluti Absyrtea membra) miserè dilacerata. Proinde antiquissimæ hujus gentis, seu potius diversarum gentium, opinionum scientiam integram pro deplorata habui,

ſemperque haberem, niſi ſurrexiſſet alter Joſephus; cui idem competit nomen, *Saphuath Paaneach*, quod perſpicaciſſimo Jacobi filio impoſuit Ægypti rex; eademque interpretatio, *Revelator ſecretorum*. Eſto igitur, quod ſcientiſſimo huic ſeculo, tibique imprimis, ornatiſſime Domine, reſervatur hæc gloria; quod tuis vigiliis debemus (& debebit ſera poſteritas) vetuſtiſſimæ ſectæ elucidationem: vetuſtiſſimam certè dicam, ſi Arabibus ſit fides habenda, qui Sabio cuidam, alteri Sethi filio, referunt Authori. Quam in rem oſtentant libros ab ipſo Setho conſcriptos, ipſorum veluti SS. Biblia, & authenticas inſtitutiones. Iſtiuſmodi, ſi modò reperire poteris, (nihil autem ipſorum, niſi nomen, mihimet innoteſcit) quæſo, tranſmittas, & alios quoſcunque eandem hæreſin tractantes: quales ſunt codices MSS. Thabeti Ebn Corrah, aliique, quorum titulos ex fide Catalogi Damaſci ſcripti refero.

Plures autem Baſſoræ invenire liceat, utpote Chaldææ vicinæ, è quâ primo profectum Sabaiſmum volunt nonnulli. Sin autem peculiari aliquo idiomate fuerint exarati, mittas nihilominus, una cum characteriſmo ejuſdem linguæ, prout ſagacitati tuæ (quam pauca latent) melius fuerit proſpectum. In recenſendis hujuſce Profeſſionis opinionibus, etiam & minutiſſimis circumſtantiis, non eſt, quod verearis impenſum tuum tempus futurum eſſe otioſè locatum: ſiquidem religioni veræ non minimum conducit falſæ detectio. Specialius autem rationem plurium præceptorum, in Moſaica Lege occurrentium,

rentium, è Sabiorum cultu petunt Judæorum Doctores; idemque populus Iſraeliticus iſtiuſmodi ſanctionibus obſtrictus eſt, quo longiùs diſtaret, & diametricè magis opponeretur humani generis infidelitati populus acquiſitus & peculium Dei. Precor autem Jeſum Chriſtum, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvit, ut indies benedicere dignaretur operæ tuæ in Evangelio prædicando, piè felicitérque navatæ, quo tandem & hi Sabii (quos ex imperfecta relatione pro veris cultoribus reputabam) veri fiant Iſraelitæ, hæredes promiſſionum, &, una cum nobis, æternæ vitæ participes. Amen. Hæc vota ſunt,

Halebi Julii 18. 1677.

Reverende admodum Pater, & clariſſime Domine, Chriſtiano nomini tuoque devotiſſimi,

R. H.

XXIX.

EIDEM.

Reverende admodum Pater,

NOlo equidem deeſſe officio meo debitæque Paternitati veſtræ obſervantiæ. Iſtiuſmodi enim eſt favores tuos agnoſcere, Virumque de religione, de literis, &, ſi hoc etiam patiaris, de meipſo, quam optimè meritum, laudibus proſequi

ſequi & gratiarum actione. Ideoque nudiuſtertius per Joannem Mariam Maunier (qui provinciam illam expenſa ſolvendi, quæcunque meâ gratiâ erogaveris, in ſe humanitèr ſuſcepit) literas tibi dedi, hodie per illuſtriſſimum noſtrum Conſulem. Quibus etiam obnixè rogo, ut ſiquas res peculiaris alicujus & raræ naturæ, nec Europæo orbi adeò cognitas, in regionibus veſtris inveneris; uti ſunt lapides, forma vel virtute ipſorum conſpicui, metalla, mineralia, terræ, medicinæ vel artibus inſervientes, arbores, plantæ, flores, quales alibi vix habentur; omnia ipſarum rerum ſpecimina, & quæ propagari poſſunt, ſemina, cum inſcriptis unicuique ſuis nominibus & qualitate, colligere, & Halebum tranſmittere dignareris. Vel ſi conſultiùs duxeris, quæ molem & quantitatem præ ſe ferunt, navibus imponeres, dirigas velim D. Gulielmo Huſſey, mercatori, & ſingulari meo amico, Londini. Magna ſunt, quæ efflagito, quæque me rubore ſuffundunt; quod auſim ſtudia tua meis interturbare nugis; ſed quæ Humanitatem tuam nequaquam dedecent. Siquidem bona opera ſemper tibi animo ſunt, nec majorem unquam percipis delectationem, quam benefaciendo. Perge igitur, reverende admodum & clariſſime Domine, & etiamſi moleſtus ſit, ignoſce tamen

Tui favoris ſtudioſiſſimo,

Halebi Julii 20. 1677.

R. H.

XXX.

XXX.

P. Agathangelo de Sancta Thereſa Præſidi Carmelitarum in Baſſora.

Reverende admodum Pater,

CUM cuilibet incumbit benè agere, viro autem docto & religioſo literas & religionem ſpecialitèr promovere, non neceſſe habeo cæremoniis vaniſque ſermonis ambagibus uti: quòd auſim ignotus Paternitatem veſtram interpellare, preceſque meas & vota humiliter offerre. Habentur juxta Baſſoram (quam optimè ſcis, nemo melius) Chriſtiani Joannis Baptiſtæ, prout communitèr vocantur, vel alitèr, Sabii, aut Chaldæi, aut Mendæi, genus hominum a toto mundo ritibus & ſuperſtitione diverſum. Obnixè precor, ut hoſce deſcribere (cum fuerit opportunitas) non gravareris, in iis præſertim rebus, quas vel omiſit, vel aliter enarravit reverendus Pater, Ignatius a Jeſu, in libello de hiſce conſcripto. Inſuper, ut exquireres, &, ſi fieri poſſit, mihimet tranſmitteres libros ab illis in pretio habitos, & idiomate ut plurimùm Syriaco exaratos, quales perhibentur: 1. *Sedra Ladam, Ordo Adami*, liber cæremoniarum plenus, quem fingunt fuiſſe illi a Deo traditum. 2. *Draſha Deyahya, Meditatio Joannis*, ubi ratio baptiſmi illorum & nominis, tanquam ab ſancto Domini noſtri Præcurſore derivati. 3. *Sepher Malvaſhe, Liber ſignorum Zodiaci*, de Chaldæorum ſcilicet antiqua aſtrologia. Si hoſce omnes, vel aliquem

ex

ex illis, emeris, quicquid ſit pretii, quod dederis, illud ex æquo ſolvam vel PP. Carmelitanis hic agentibus, vel D. Gamalieli Nightingale, illuſtriſſimo Anglorum Conſuli, vel cuicunque alteri, modò velis & jubeas: etiam & meritò profitebor memet ipſum, ultra quòd dici poſſit, reverentiæ veſtræ obligatiſſimum, ſacerdotem Anglicanum,

Ex ædibus Conſulis in Aleppo,
Feb. 15. S.V. $16\frac{8}{8}\frac{0}{1}$. R. H.

XXXI.

P. Agathangelo R. H.

NON parum eſt elapſum temporis, ex quo præcellenti tuâ indole & doctrinâ fretus, Paternitatem veſtram literis ſum aggreſſus, apertoque ore rogavi, ut hiſtoriolam cujuſdam ſectæ hominum, quos Chriſtianos D. Joannis Baptiſtæ vulgo vocant, prope Baſſoram degentium contexere, eandemque mihi quidem ignoto, & alio prorſus orbe, Britannia ſcilicet, oriundo tranſmittere non graveris. Quæ præterivit intacta reverendus P. Ignatius à Jeſu, ipſe, ſi quis alius, enarrare potes, catalogumque exhibere illorum codicum, qui orbem Europæum huc uſque latent, & incogniti ſunt. Quicquid illud ſit, quod Ethnicos illos dicam, an Chriſtianos? quoque modo ſpectat, gratiſſimum erit

Reverentiæ veſtræ devotiſſimo,

Julii primo 1681. R. H.

XXXII.

XXXII.

P. Polycarpo Carmelitæ, Tripoli.

Reverende Pater,

INcrebreſcente fama à literis tuis, ut aiunt, primitùs ortâ, D. Ludovicum Bagot, felicis memoriæ, prius a fide ſua Chriſtiana, quam antea profeſſus eſt, quam a vita deſciviſſe, Romanamque fuiſſe amplexum: ſancteque ex altera parte profitentibus famulis ejus, nonnulliſque aliis, quod ratio illi penitus defuiſſet, & ipſe inſuper ſermo, ante aſſignatum huic recantationi tempus, adeò ut nec intelligeret aliorum ſenſa, nec planè eloqueretur ſua: quo melius inter hujuſmodi contraria veritas mihi innoteſcat, quam utique deſidero; precor, Vir digniſſime, ne graveris totius rei ſeriem ordine, eaque, qua decet Sacerdotem, fide deſcribere, & illam, unà cum notitia morbi, diei, horæque, quibus occubuit, tranſmittere,

Halebi 24 Decembr. 1680.

Reverende Pater, nominis tui ſtudioſiſſimo, Domini noſtri Jeſu Chriſti in eccleſia ſua, quæ Halebi eſt Anglicana, Miniſtro humillimo & indigniſſimo,

R. H.

XXXIII.

XXXIII.

Nobiliſſimo & ampliſſimo Viro, D. Jobo Ludolfo, Sac. Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario, Robertus Huntington S. P. D.

TAndem aliquando, ſerius licet, Vir inſigniſſime, literas tuas, 26 Octob. datas, ab amico noſtro, Sancto Georgio Aſhe, tranſmiſſas, lætus accepi; atque mihimet gratulor, quod occaſionem præbueris commercium epiſtolare exercendi cum eximio & per totum literatum orbem celeberrimo Viro; tibi ſiquidem debemus, quod lingua & gens Habaſſinæ non ſint ampliùs Europæis incognitæ, quod mores, religionem, & regimen tam diſſiti populi & penitùs inacceſſi perſpicuè conſpiciamus; larvis omnibus, fabulis, & mendaciis, quibus ad tua uſque tempora miſerè tenebantur, prorsùs liberata, quòd multa plura, vel nova, vel deperdita, curioſa ſatis & tanto ingenio digna, prout ex ſpecimine Commentarii tui Æthiopici clariùs innoteſcit, indies expectemus. O ſi Juvenis ille Habaſſiâ oriundus, quem ingenioſiſſimum, & Gregorio tuo non imparem, deprædicabant mihi Patres (quos vocant) Miſſionarii, ante $\bar{x}$. annos Cairi agentes, ac proinde Romam amandabant, in fide (uti loqui amant) Catholicâ erudiendum, in notitiam tuam perveniſſet! de quo tamen cum poſteà inquiſiverim in Collegio de propagandâ fide, ne verbum quidem exaudire licuit.

Literas

Literas Samariticas, Cizæ impreſſas, à Nepote tuo donatas, poſſideo. Atque imprimis de populo illo, ſeu reliquiis potiùs Cuthæorum, nonnulla verba faciam, antequam quæſitis tuis ſtrictiùs reſpondero.

Gens eſt tam parva & tam nulla, ut non aliam facilis invenias, cui comparare queas; non Chriſtianos, ſeu Ethnicos potius, S. Joannis Baptiſtæ juxta Baſſoram degentes, quorum religionis libros, antiquo charactere & idiomate (forſan Babylonicis) deſcriptos, non ſine magno pretio acquiſivi; neque Chriſtianos D. Thomæ in Indiâ; non Kelbinos in Cœloſyria, nec Hamadæos in monte Libano, licet pauciſſimos. Numerant ipſi non multas ſupra $\overline{xx}$ familias in Sichemo, hodie Neapoli, ditiſſimo Palæſtinæ emporio, ejuſdemque regionis Præfecti ſede. Quorum nomina, ſaltem omnium, qui ſcribere callebant, nonnullis ſuis literis ſubſcripta habeo. Quid dixi? habeo; Imò habui, nunc habeam necne, incertum eſt. Hic enim dum agerem, quo tempore Hibernia movebatur, non adeò conſervatæ ſunt res meæ, ac ſibi ibi fuiſſem. Ac ſpeciatim vereor, ne Samaritarum Epiſtolæ, unà cum Collectaneis meis, inter deperdita numerentur. Neque hoc certò ſcire liceat, quia commercium cujuſcunque generis prorsùs eſt prohibitum Dublinium inter & Angliam, ideoque literæ tuæ, D. Dudleyo Loftuſio inſcriptæ, apud me detinentur, donec evenerit, quam vix expectare liceat, opportunitas tranſmittendi.

Atque hinc diſcas, Vir ornatiſſime, quare mandata tua non exequor, quare Autographum primæ

mæ Epiſtolæ, cujus exhibes verſionem, non infitto, quod equidem libentiſſimè feciſſem: bina enim Exemplaria miſerant. Utcunque Apographum (quod ſolum potui) à Viro literarum Orientalium peritiſſimo, D. T. Hyde, ſed literis Hebraïcis, feſtinandi cauſâ exſcriptum, mitto: qui etiam errores quoſdam ſcribæ aſteriſcis notavit. De ductu literarum non potes ambigere, quin ipſiſſimæ ſint formæ & characteris cum tuis: idem Merchib utraſque ſcripſit, ac proinde eodem modo.

Utinam in promptu eſſent, quæ de hâc natione congeſſi, ut certiorem te facerem eorum, quæ ad illam ſpectant, quæque pars magna Europæos fugiunt. Olim Damaſci floruerant, uti Petrus à Valle, teſtis non infidelis, affirmat, ubi tamen nunc temporis nec nomen eorum exauditur. Cairi etiam habitabant, ut ex ſecundâ ad Scaligerum Epiſtola conſtabit. Et hodierni Sichemitæ aſſerere non verebuntur, non contemnendum ipſorum numerum etiamnum Ægyptum habitare; licet falſiſſimum eſſe ex αὐτοψίᾳ poſteà didici; præter enim pauperrimum ſenem homuncionem & uxorem ejus æquè miſeram, ne unum quidem reperire licuit Samaritanum. Præter legem, cujus duo Exemplaria tenent, involuta & pergameno deſcripta in Synagogâ ſuâ unicâ, camera quadrata, mediocri, ſpurca, & obſcura, à 500 forſan annis exſcriptam, habent etiam formulas precum, librum Joſuæ, ſeu Chronicon potiùs, non illud quidem à Scaligero laudatum, (quod nunquam vidi) ſed breviuſculum, ab orbe condito ad Mohammedem (quem vocant) male-

dictum.

dictum. Hoc autem vocabulum Samaritice scribunt, ne Alcorani Professores intelligerent. Habent etiam Commentariolum in Legem, & expositionem majorem: (cujus primum tantùm tomum possideo in Genesin.) Arabica hæc sunt; sed quicquid ex lege citant, etiam & Pontificum suorum nomina, scribunt Samaritice.

Quod autem vetustissimum illud Exemplar attinet, de quo in omnibus Epistolis suis tantopere gloriantur, quasi scriptum fuisset ab Abisa, filio Pinchasi, &c. nugæ sunt, & pura puta mendacia. Cum enim Sichemum secunda vice transiverim, hâc de re sedulò inquirere constitui: sed dum revolvo decantatum librum, (unum ex prædictis in Synagogâ conservatis) propeque ab umbilico aberam; Samaritæ, causæ suæ diffidentes, fatentur ultrò, istiusmodi verba olim fuisse ibidem exarata, posteà autem à nescio quo sacrilegè direpta. Verum est, quod Tomorita tuus narrat, eos esse scribas Bashæ, seu Publicanos, ad telonia corradenda deputatos; quale officium exercent in Joppe, & uti audio, in Gazâ, prout Cophti per Ægyptum ut plurimum, & Judæi per reliquum penè Ottomanicum imperium; bene etiam vestiti incedunt, quantum illis per miseriam liceat, Ἀρχισελωνης præcipuè, Merchib, ben Jacob, qui cæteris prælucet. Hunc imprimis & 4 vel 5 alios pro telonio sedentes adibam, (quisquis enim ille est Francorum, qui hanc civitatem pertransit, solvere tenetur v. thaleros, cæteri omnes Christiani Orientales duos tantum solvunt cum dimidio) & remisso nobis (socium enim habui & fidum Achatem) vectigale debito,

ex mandato, quod attulimus, Vizieri Damaſceni, qui cæteris omnibus Præfectis (Baſhas vocant) ad Ægyptum uſque imperitat, cœpi illicò de gente, lege, ritu, & moribus ipſorum plura ſciſcitari: illi è contra, quod ſollicitè adeò quæſiverim, memet interrogant, annon Hebræi in patriâ meâ degebant? imò, dixi, credens eos non alios quam Judæos intellexiſſe; exinde ſchedulam mihi porrigunt, characteribus Samaritícis deſcriptam, quam cum legiſſem; Aha! exclamant, *hi ſunt procul dubio Fratres noſtri*; aiebam eos communiter Judæos vocitari; nequaquam, regerunt, *Iſraelitæ ſunt prorſus & Hebræi, fratreſque noſtri fraterrimi.* Ita enim ſeipſos Iſraelitas & Hebræos appellari gloriantur, Judæos autem & re & nomine, antiquo & pluſquam Vatiniano odio in hunc uſque diem proſequuntur.

Non rectè igitur dicitur, quaſi illis perſuaſiſſem, Fratres ſuos in Anglia degiſſe; expreſſè enim aiebam è contra, ſed credere nollent; quia præ omnibus maluiſſent; neque conjectarentur, unde literas Samaritícas, niſi a populo Samaritico, addiſcerem. Inſuper neque aiebam eſſe multos ipſorum apud nos, eoſque me Sichemum miſiſſe expetitum Legis exemplar. Verùm, ut meliùs intelligerent, qui qualeſve fuerint Hebræi, de quibus verba feceram, expediret, dixi, ut Hiſtoriam religionis ſuæ ſatis amplam contexerent, ſpeciatim in quantum ab Judæis diſcrepant, etiam & Legis SS. Codicem mitterent, quem, literis minuſculis & magnam partem evanidis ſcriptum, ſtatim mihi porrigunt, è ſinu alicujus ipſorum detractum: ità enim collo ſuſpenſum geſtavit. Literarum

terarum autem bina Exemplaria, uti admonui ſecuritatis ergo, mittunt mihi poſt ſeptimanam, graviſſimo morbo decumbenti Hieroſolymis, quæ ſuis temporibus Angliam appulêre ſalva utraque, & à doctiſſimo Marſhallo receptæ ſunt, qui & iſtis reſponſum dedit; cui regerebant Samaritæ, & hic illis, pluribus vicibus. Hæc omnia, cum rhapſodiis meis ad eandem rem ſpectantibus, in methodum aliquam redegiſſem, ſi poſt diuturnam peregrinationem licuiſſet in Patriâ requieſcere. Atque hinc illæ lachrymæ.

Ad Quæſtiones tuas quam breviſſimè.

1. Nomen Tetragrammaton יהוה nunquam pronuntiant, ſed loco ipſius efferunt *Semaa* cum ש potiùs quàm ש & ultima protracta & quaſi triſyllabà, ad eundem planè modum, quo ſonant in linguâ ſuâ vernaculâ *Semai* (*cæleſtis.*) Ingenioſa eſt tua conjectura, quod ſit à שם ad morem Judæorum. Hos & Samaritas hâc in re imitantur Cophti ſeu Chriſtiani Ægyptii, qui incommunicabile nomen Dei ubique celant, & Phtha pronuntiant ſemper *Ebnudi.*

2. De Meſſiâ loquentes, parum ſibi conſtant, & confusè, nunc hoc, nunc illud aſſerunt, uti & ex reſponſo ipſorum D. Marſhallo, quomodo interpretarentur textum de *Shilo*, Geneſ. XLIX. 10. & de *Propheta illo*, Deut. XVIII. 15. interroganti, pleniùs intelligetur. Sanè mentionem ejus faciunt, non aliter ac Joſephus, quàm honorificam in Chronico ſuo prædicto, verbiſque utuntur Servatore noſtro non indignis. De illo

ipso, ejusque cultoribus benè loquuntur, & Judæis quàm dissimillimè. Neque mirari liceat, cum hi duo populi nusquam inter se consentiunt.

3. Quare nomen Messiæ scribunt משיח, planè nescio; neque satis constat, illos ità scripsisse: forsan ex malè intellecto vocabulo (quodcunque illud fuerit) Editor aliud apponeret. Ego equidem de hoc apud ipsos nomine nihil audivi: ideoque nec opus erit conjectari, utrum (per rasche teboth) non sint initiales plurium vocabulorum literæ; veluti משילה הבא (*Shilo venturi*) vel aliter.

4. Denique rationem annorum, seu computum temporis, apud eos duplicem esse invenio; Civilem seu Mohammeditum unum, ab Hegira Pseudo-prophetæ, quo semper utuntur, una cum nominibus Mohammedanorum mensium in vulgaribus suis Epistolis Arabicis: alterum Ecclesiasticum seu Græcum, uti credo, ab Orbe condito. Atque hic ille est, quem in scriptis suis Samaritici unicè affectant. Quamdiu Imperium Græcum Sichemum tenuit, etiam antequàm in Neapolin transmigravit, & posteà, & tamdiu per dum Lingua Græca ibidem invaluerit vernacula, Græcorum computum, si conjectari liceat, per omnia sequebantur.

Postquàm verò Saracenorum imperium & lingua Græca exterminaverint, ad rationes Victoris se componunt subjecti populi, & omisso vetere computo & scribunt & numerant Mohammedicè. Atque hinc forsan ratio est, quare Samaritanus calculus excedit Græcum: (uti tibi innuit Bernardus

nardus noſter) quia annos ſuos numerant ad modum Arabum per menſes Lunares, ac proinde annis XXXIII. unum ſemper ſuperaddunt. Quo autem tempore, annove, & lingua & computus Arabum in uſu eſſe apud Sichemitas primò incepit, Oedipi cujuſdam eſt, non mei, determinare.

Atque hæc ſunt, Vir ampliſſime, quæ libris omnibus chartiſque ſemotus, in præſente tibi referre, & reſpondere queam. Ignoſcas, ſcio, erranti, vago, & incerti laris; & ſi reſcribere digneris, tutò poſſis eodem modo, quo anteà, vel per digniſſimum Nepotem tuum, qui hæc tibi curabit tradenda. Vale.

Martii ultimo. A. D. MDCXC.

Amici tui ſuprà laudati, D. Hyde & D. Bernardus, plurimam tibi impertiunt ſalutem, fauſtaque precantur & felicia omnia.

XXXIV.

Eidem R. Huntingtonus.

COmmercium noſtrum epiſtolare, Virorum optime, uſque licet exercere, etiamſi nepos tuus, cui nuperæ tuæ literæ (14. Mail ſcriptæ) concreditæ ſunt, Hiberniam profectus eſſet, celſiſſimo Daniæ Principi à Secretis. Hoc autem doleo, quod clariorem rerum Samaritanarum,

(quibus illuſtrandis adeò ſedulus incumbis) narrationem ob deperdita mea καιμήλια tranſmittere non poſſim; neque epocharum ſuarum & Chronologiæ accuratiorem ſeriem, quam per vitas ſingulorum Patriarcharum & Pontificum, methodicé ſatis, ſi ſat verè, exhibent in compendio ſuo Hiſtorico, ab Adamo Mohammedem uſque. Perierunt, etiam, uti vereor, literæ reciprocæ Samaritas inter & Marſhallum τ μαχαιρίτην.

Satis tamen laudare nequeo generoſum illum animum, qui tot tantaque proſequitur in commune literarum & religionis incrementum. Faxit Deus, ut proſperè ſuccedant, quæ tam piè deſignas.

Verba olim habui, cum Sichemum alterâ vice adierim, cum Juvene quodam Samaritico, de itinere in Angliam faciendo, ad fratres, quos aiebant ſuos, viſitandum: ille autem hæſitabat imprimis, renuebatque demum, cum intellexiſſet etiam Sabbatis ſuis navigandum fore; ſummâ enim religione & pluſquam Judaïcâ Sabbatum venerantur. Si quid autem hâc in re præſtandum fuerit, id D. Calckberner, Batavorum apud *Halebenſes* Conſul, proculdubio præſtabit, utpote in locis rebuſque Orientalibus diu exercitatus. Deum interim precor, ut vitam tibi & incolumitatem ad hæc omnia, quæ meditaris, magna & excellentia perficiendum clementiſſimè concederet.

Tui ſtudioſiſſimus,

Junii ultimo —90.

R. H.

XXXV.

XXXV.

EIDEM.

AUtographum primæ Samaritarum epiſtolæ mallem tibi committere, ſed tuto reddendum, quam exemplar malo charactere, ſi non & mala fide, exſcriptum. Non ſuo ſolum, ſed & totius gentis nomine ſcripſit Merchib Ibn Yacob, vulgo Mopherrege, vir inter illos primarius: illi autem mihi, Hieroſolymis tunc ægrotanti, viginti & pluribus abhinc annis miſerunt, fratribus ſuis, uti credebant, in Anglia degentibus tranſmittendum. Anſam huic errori præbuit ambigua eorum quæſtio, utrum Ebræi reperiebantur apud nos? Imò, inquiebam, reſpondens de Judæis, interrogantibus, uti poſtea patebat, de Samaritanis. Non enim in præſenti animadvertebam, illos Iſraelitarum Ebræorumque nomen ſibi ſolum arrogâſſe. Cumque fortè legiſſem periodos quaſdam, ſacris ſuis literis & lingua exaratas, illico clamabant non ſine inuſitata exultatione, jurabantque, *Iſraelitæ ſunt revera, & fratres noſtri fraterrimi.* Fruſtra igitur erant aſſertiones meæ, quod Judæi proculdubio fuerint, fruſtraque tunc temporis conabar confirmatum adeò errorem evellere, in pretio adeò habitum, & guſtibus ſuis arridentem. Neque poſtea hac de re amplius ſatagebamus. Rogabam autem, ut mitterent librum legis, (quem & miſerunt) rationemque redderent religionis, temporis, precum, ſacrificiorum, Pontificum,

feſtorum, jejuniorum, librorumque ſuorum omnium : ſcilicet ut curarent illis enarranda, quibus certò utriſque innoteſceret, an fuerint ejuſdem fidei, necne. Atque hunc in modum inſtitutum eſt commercium epiſtolare inter Neapolin & Oxonium, quod multos annos durabat, pluresque utrinque dabantur literæ, uſque dum è vivis exceſſerit eruditiſſimus virorum, D. D. Mareſhallus, ὁ μακαρίτης.

Cum autem Halebum reverſus, legiſſem hanc epiſtolam, de libro legis ab Abiſha conſcripto, cupiebam quam maximè monumentum hoc ſummæ remotiſſimæque antiquitatis conſpicere, & poſt quinque annos Neapolin rurſus adeo, & cum præcipuis Samaritis venerandum hunc codicem in Synagoga ipſorum latitantem inſpicio : è binis inibi conſervatis audacter denuo pronuntiant, quod eſſet ipſiſſimus liber. Subridens prehendo explicoque : metuentes autem, ne ad umbilicum uſque evolverem, ſine pudore fatentur, verba iſta, *Ego Abiſha*, &c. olim fuiſſe inſcripta, eo modo, quo aſſerunt, ſed a malè feriato neſcio quo lacerata nunc eſſe & penitus excerpta. Mirabar igitur vanitatem dicam an impudentiam eorum, qui auſi ſunt poſt detectam fraudem eandem tibi repetere fabulam. Hujus verò originem altius petere licet, ſcil. ab anno Hegiræ 756. quando hiſtoriam ſuam ſcripſit——

Ita enim ille ſub Pontificatu Pinchaſi—, cujus verba ſua manu & charactere ſcripta illuc ſubjungit.——

Siquid reſcribere digneris, D. Thomas Vernon, Mercator Londini, curabit illud mihi ruſticanti

canti transmittere. Vale, Vir doctissime, diuque vive Patriæ tuæ decus, & totius orbis ornamentum.

Scribebam ipso Ascensionis D. N. die A. 1695.

XXXVI.

EIDEM.

IGnoscas precor, erudite admodum, & super titulos omnes dignissime Domine, si huc usque gratissimis tuis 25 Augusti datis distulerim responsum. Vellem siquidem quæsitis tuis de Samaritarum literis, & epistolari cum fratribus, uti aiebant, suis commercio, quantum in me foret, plenissimè satisfacere. Ideo Oxonium, ubi nunc asservantur prædictæ literæ, semel, iterum, iterumque scribebam: neque diffitebor rescripta venisse, qualia tamen nec meis nec magni Ludolfi votis ex æquo responderent. Res tamen nondum est desperata, atque indies nobis satisfieri exspectamus. Academiæ, dixi, satius ducebam, ruri damnandus, istiusmodi χειμήλια concredere, quam mecum sepelire, squalore, cœno, & perpetua oblivione involvenda.

Unas apud me retineo literas, solum secundas, scriptas sexto octavi mensis anno creationis 6114, & subscriptas nominibus octodecim famosiorum Sichemitarum, penè dixeram omnium, quotquot erant Neapoli. Aveo & hasce literas tibi transmittere fortean, cum amicus

eus noſter ingenioſus & digniſſimus, D. Edvardus Smith, ex Hibernia redux, in Flandriam profecturus fuerit, auguſtiſſimo Regum a ſacris.

Optimum revera, quod ais, adhibent teſtimonium pauperes iſti Samaritani contra Atheos, ſeu Deiſtas potius, uti nunc audiunt, pro divina authoritate Legis ſeu Pentateuchi. Et non ſine providentia factum eſt, quod infideles homines opiniones haſce evulgaverint ante exterminium hujus miſerrimæ gentis, quod jam appropinquare credo.

Harum omnium literarum exſcriptor, ſi non & Author, Mepherrege, Merchib ben Yakob. Profugus jam agit Liburni, avaniis ſeu injuſtis criminationibus oppreſſus, diutius Sichemi habitare non potuit. O ſi hunc etiam in patriam tuam accerſiveris, & hujus ope peragas in Samaritanis, quod Gregorii tui famulatione peregiſti in Æthiopicis! Tuum enim eſt ignotos & perituros populos univerſo mundo commendare & æternitati. Vale feliciter.

Dabam Hallingburiæ, viculi nomen eſt, ubi deliteſco. Novembr. 28. 1695.

XXXVII.

D. Allixio.

DUdum reſponderam, Vir doctiſſime, gratiſſimis tuis à D. Stone M. D. allatis, ſi è portu,

portu, neſcio quo, non ſolviſſet, Angliam navigaturus. Libellum & Commemorationes per D. Huſſey tranſmiſſas non ſine magnâ curioſitate nec minori ſatisfactione legi; & ab optimo maximoque Viro, Henrico Clarendoniæ Comite, auguſtiſſimi Regis in hâc Inſulâ Vicario ſummo, in mandatis habui, ut ſuo etiam nomine grates tibi impertirem & certiſſima benevoli animi promiſſa. Nuperrimis autem ſalutationibus tuis & poſtulatis, de quibus certiorem me fecit amiciſſimus noſter D. Wake, impræſentiarum eſt reſpondendum.

Petis, inquit, Geographiam quandam, inter MSS. mea latitantem, à quodam Cordulbi (ignoto prorsùs nomine) concinnatam: ſuſpicor autem & illum & te velle Iſmaelem Apameæ, nunc Hamæ, Principem, vulgò Abulphedam dictum, inter Geographos Orientales celeberrimum; hancque conjecturam auget D. Thevenoti, quod ſubjungit, nomen. Idem enim affirmavit mihi Pariſiis, ſe paratum habuiſſe hunc Authorem, propediemque editurum, niſi quod expectaverit ejuſdem in Angliâ editionem. Fateor equidem in catalogo librorum prelo Oxonienſi ſubjiciendorum, quem accuravit digniſſimus Epiſcopus, Joannes Fell, ὁ μακαρίτης, & hunc reperiri, à Samuele Clerico, Linguarum Orientalium ſtudioſiſſimo, ante $\overline{xx}$ annos in Latinum ſermonem traductum. Ideoque hoc opus potiùs quæreres, utpote Amico tuo magis uſui, quam exemplar meum merè Arabicum, & punctis etiam diacriticis nimium deſtitutum. Plura de hâc re narrabit, modo velis, D. Dr. Bernard, Aſtronomiæ

Pro-

Professor Oxoniæ, quem penes est liber prædictus; &, si necessarium judicaverit Reipublicæ literariæ, possit mutuum tibi tradere, etiam in Galliam deportandum. De D. Doctore Picques & Abbate de Longuerue, nihil equidem post tuas literas accepi; quæso, si commercium inter vos vigeat epistolare, sciant me degere amicorum semper memorem, tuo præsertim nomini addictissimum.

In S. Trinit. Collegio Dublinii,
xx Decembris, 1686. R. H.

XXXVIII.

EIDEM.

GAudeo Doctorem Piques & D. Abbatem de Longuerue incolumes, veterisque consortii non immemores esse. Siquid præstare possem, amicitiæ nostræ congruum, illud certè nunquam denegabo. Verum prædicti Doctoris postulatis respondere impedit & natura rei, & inopia, quam hic loci sustineo, supellectilis meæ librariæ. Nollem siquidem libros meos incommodo tugurio & ruinam indies minitanti audacius concredere: ideoque relinquebam Londini & Oxonii, tenebris ciistisque damnatos. Neque penes me sunt, præter unum alterumve, iique officio meo pastorali magis necessarii.

Divisio, quam affert, (utinam & è quo libro retulisset) Ægypti, Ægyptiacæque seu Copticæ dialecti, ad modum est Arabum & neotericorum, quo-

quorum libri sunt consulendi. Quod catalogum attinet Copticorum librorum, memini me olim generalem illi dedisse, tum quotquot per Orientem conquisivi MSS. quorum nomina in magno illo MSS. Catalogo (sub prelo desudante) exhibebit Bernardus noster. Sin autem crederes, particularem Copticorum indicem Amico tuo, qui linguam istam solus callet, præsenti usui fore, conabor quantocyus aliqualem conficere, tibique morem gerere. Vale, Vir doctissime, diuque vive literarum & religionis magnum ornamentum.

Martii 17. 1695.

R. H.

XXXIX.

EIDEM.

NEmo me libentius succurreret pro Republica literaria laborantibus, si modo vires suppeterent animo pares. Hoc ipsum opus, hoc officium meum erga amicissimum doctissimumque D. Picques, hoc postulationes tuæ suadent jubentque: ideoque erudito illi viro, Ægypti chartam Geographicam, uti ais, concinnaturo, fausta omnia apprecor voveoque. Nec nisi vota superstunt. Curta enim est mea supellex, crudæ observationes, & per transitum habitæ. Neque enim diu in illa regione agebam, sed per aliquot septimanas

timanas vel menſes ad plurimum : imo ſecunda vice ne per unum quidem : pecuniis fateor, ad redimendos libros, non autem inſtrumentis ad poſitiones locorum exquirendas inſtructus.

Veſtrates ibi degunt, Europæorum ſoli, commercium Alexandriæ, Canopi, Cairi exercentes. Degunt etiam *Religioſi*, quos vocant, plurium Ordinum, Miſſionarii præſertim, qui adverſo flumine in Thebaida & ad extremos uſque Ægypti limites, prout mihi narrârunt, nonnunquam navigant, urbeſque omnes earumque veſtigia vel accuratè luſtrant vel luſtrare poſſunt. Hi potius ſunt conſulendi, qui ætatem ibi agunt, quam oſcitantes viatores, qui per ſaltum regiones diſcurrunt, & perfunctoria inque diem itinera faciunt. Vide quam quiſquiliæ ſunt, & meræ nugæ, quas hujuſmodi viator, errove, potius effutit. Nilus nomen ducit a נהל, quaſi eſſet *fluvius* κατ' ἐξοχήν, originem a montibus Abyſſinis, exundantes aquas a Jove pluvio ; continuis ſcilicet imbribus per menſes hyemales in Habaſſia decidentibus, poſt longiſſimum decurſum, & milliaria circiter C. C. ab influxu ſuo in Mare Mediterraneum, Meſram antiquam & infra Bulacum alluit binos Cairi portus. Hunc petunt e Damiata & Roſetta, partibus ſcil. Septentrionalibus : illum ex Thebaide ſeu Saïd, ſuperiori ſcilicet & Auſtrali Ægypto, etiam in Æthiopia vel Habaſſia navigantes. Uterque a Cairo parum diſtat, *Meſer antiqua* vix duobus milliaribus, Bulâco ne uno quidem.

Cairus

Cairus ab Europæis propter magnitudinem, *Grandis* dicta, ab Incolis & Orientalibus *Meſer* ut plurimum, ab Miſraim, Chami filio, nomen regionis civitati tribuentibus: uti Shâm & Syriam vocant, ejuſdemque Metropolin Damaſcum. Ad Orientem Nili, ideoque in Aſia a Sarracenis fundatoribus poſita eſt. Urbs ruinis, ad Eurum præſertim, licet non ſenio, fracta: ac proinde famam ſuam minimè exæquat. Multo minor eſt Lutetiâ, populo licet abundantior: viculis ſiquidem & angiportis propter calores abundat: vivuntque incolæ catervatim. Narrârunt mihi A. 1680. fide digniores, quod præcedente anno, cum graſſata fuerit ibi peſtis epidemica, efferebantur demortui 510000. Quod mirari liceat, cum eo ipſo tempore confertiſſimus incedebat populus: neque ego facilis credam, tot inibi adfuiſſe ſuperſtites, quot aiebant, incogitanter ſatis, fuiſſe uno anno exſtinctos. Ad Orientalem Urbis terminum arx eſt ſeu palatium Præfecti regionis, inter Baſſas ſeu Toparchas Othomanicos primarii. Inde ad primum lapidem eſt viculus Adaliah; & ad quartum, ſed verſus Aquilonem magis, Maturêa, pagus non ignobilis; ſed propter hoſpitium, quod præbuit, uti fertur, Deiparæ, cum Conſorte ſuo & beatiſſimo Infante, quando in Ægyptum ob metum Herodis confugerant, multo nobilior. Fruticem Judaicum, olim dictum, balſamum ſtillantem, quem curiosè in hiſce hortis alendum duxerunt Provinciæ gubernatores, dudum enecuit novercans terra; eſt enim Arabiæ ſolum indigena. Hinc non milliarii intervallo erectus ſuperbit nobiliſ-

ſimus

simus obeliscus, figuris undique hieroglyphicis inciſus.

Ex occidentali parte Cairi eſt aquæductus utilis, & canalis, qui Nilanas aquas in urbem deferunt, Keſer Sema, Meſer antiqua, uti dixi, & inſula, ubi incrementum fluminis ex gradibus in columna notatis quotidiè obſervant divulgantque, ideoque *Mikias* dicta.

Ad decimum circiter lapidem verſus occaſum, & vix dimidio milliari a margine inundantium aquarum, eriguntur ſuper monticulum 150 pedum multæ pyramides; duæ præcipuè, penè æquales, ex lateribus 700 pedum, exaſciatis ſaxis, in altitudinem proportionalem faſtigiatæ. Harum majorem (ſi qua major) illam volo ad Eurum, quam ſolam aſcendere & intrare poſſumus, graphicè adeo delineavit Joannes Gravius, vir linguarum & Matheſeos peritiſſimus, in ſua Pyramidographia, ut manum de tabula tollere debeam.

Tertia eſt multo inferior, licet conſpicua ſatis, ſi ſolitaria ſteterit. Cæteræ omnes minores ſunt: nonnullæ tamen æquare poſſunt Pyramida C. Ceſtii, quæ Romæ eſt. Juxta habentur cameræ, quas vocant, Sacerdotum, vivis rupibus exciſæ, & Ægyptiacis literis quaquaverſum inſcriptæ. Sphingis autem, ſeu humani capitis ſtatuæ, obliviſci piaculo ducerem. Immenſæ eſt molis, 100 pedes ad humeros continens circuitu, ex eodem lapide aſciata, & Orientem verſus poſita.

Hinc ad meridiem 5 circiter vel 6 leucas plures ſunt Pyramides, magna parte dilapſæ. Sedecim

decim enumeravi, per deſertum ſparſas. Inter quas una eſt maximarum æmula; 700 pedes ad baſin lateris borealis tenet, (neque enim omnia metiri datum eſt) & introitum, uti prior, ab Aquilone, ſed magis altum, ad dimidium penè Pyramidis. Cæteræ omnes (in quantum ſcio) ſunt imperviæ. Hic ingredior per aditum 3 pedes 3 digitos latum, 3 pedes 8 digitos altum: per deſcenſum 203 pedum in arctiori, ſed horizontali, 27 pedum, manibus pedibuſque incedens: hic autem in cameram 27 pedes longam & 8 pollices, 11 pedes & 11 digitos latam, duodecim ſaxis ſupernè arcuatam, inducit. Ex hujus Septentrionali parte aditus patet, ſatis demiſſus, 12 pedes & dimidium longus, ad aliam earundem dimenſionum cameram. Ubi ad Auſtrum conſpicitur introitus in cubiculum laqueatum, 20 pedes latum: quod ingredi non potui ob ſcalæ geſtatoriæ defectum. Mihi autem videtur ejuſdem eſſe formæ & officii cum illo, quod in priori Pyramide intravi, ac proinde continere forſan Fundatoris monumentum.

Mediam quaſi viam, Pyramidas hâſce Auſtrales inter & Boreales, in eodem Libyco deſerto, tenent Mummiæ, ſeu condita veterum Ægyptiorum cadavera, ampliſſimis calvariis in argillacea terra cavatis, in hunc uſque diem conſervata. Neque hominum ſolum condiebant corpora, ſed & avium: (ferunt, & aliorum animalium.) In harum deſcendo repoſitorium, auguſtum ſane, cameris ex utraque parte diſtinctum, plenis ut plurimum vaſorum fictilium Hermeticè ſigillatorum, quæ ſingula ſingulares continent aves, ſeu

volucres potius, roſtro adunco armatas. Vaſa ſunt omnia ejuſdem formæ, fuſoriorum ad inſtar, & pedalis magnitudinis, volucreſque, in quantum ex vaſis, quæ diffregi, pluribus conjectari licet, ejuſdem ſpeciei.

Pollinctores, pro conditione viventium, humana corpora in tres gradus diſtinguebant, pariterque curabant: quæ poſtea faſciis involuta & magna ex parte loculis condita, ex Sycamoro, ut conjicio, factis, qui integri & abſque carie in hodiernum diem permanent, Sepulchris committebant ſpatioſis & vaſtis. Mihi enim videtur potuiſſe Memphim ædificiis ſuis ſubterraneis æmulari ſaltem, ſi non & excedere, ipſam Romam.

Hinc ſeſquileucæ ſpatio diſtat Sekkâr Sebe, ad terminos exundantium aquarum poſita: ſterileſcit enim ager in hac Africana parte, glareaque penitus obruitur, quem aquæ non fertilem reddunt. Vicus eſt non ignotus, & pluribus ditior propter Mummiarum monopolium, ejus incolis concreditum.

Fragmenta inſcriptionum Græcè paucula vidi, plura Ægyptiacè. Nonnullos inſcriptos lapides redemi, quorum duos tenet Muſéum Aſhmolianum Oxoniæ: reliquos Alexandrinus Ἀρχιπελάγης detinuit; ne ſcilicet ſcriptio, quam Francos callere aiebat, reconditos theſauros denotaret, ab ipſis igitur opportuno tempore deportandos. Teneo autem tabulam de oſtio domicilii, nec ſine pretio acquiſitam, quæ 5 lineis bicubitalibus deorſum, a capite ſcilicet ad calcem, more Sinenſium, inſcribitur, & eodem forſan

ſan modo ſinguli characteres integra verba repræſentant.

Ab Sekkâra ad Cairum eſt quatuor leucarum diſtantia.

Nilus ad duas infra Cairum leucas in binos ſe diffundit rivos, æqualium penè dimenſionum, qui cum mari Mediterraneo ad Boream Deltam [Δ] conſtituunt, fertiliſſimam Ægypti inſulam. Horum Occidentalior infra Canopum ſe exonerat: Orientalior per Peluſium in mare labitur. Neque præter hæc duo aliud eſt Nili oſtium: etiamſi olim

Numero totidem, quot
Sunt Thebarum portæ, aut divitis oſtia Nili,

Θρυλλικῶς ſeptem denotavit antiquitas:

——*Septemflua flumina Nili.*

Etiam ſeptenarium oſtiorum numerum divinitus approbatum legimus Iſ. XI. 13. *Percutiet eum in ſeptem rivis.* Loquor autem de præſenti: nam de cæteris quinque ne γε῀ quidem hodie, neque derelictorum canalium veſtigia.

Ad Nilum ſiti ſunt pagi: primus, quem recenſeo, in Canopum tendens, Iſhmoun dicitur ad Orientalem ripam poſitus; alter Wordân, & tertius Torrana in eodem littore.

Torrana inter ſecundæ claſſis vicos numerari poteſt, propter Latrôn ibi apportatum, & quia portus in Nitriam euntibus. Ab hac ad lacum

a Latrôn dictum triginta ſunt milliaria, viaque ducit W. S. W.

Latron. nitrum corruptè pronuntiatum, (uti ſunt L & N literæ συμφωνικαὶ) ex aquis ſalſuginoſis fit, quibus innatat, ſeu potius ſupernatat, ad modum glaciei, cui maximè ſimile eſt, ſed durius, & ex colore aquæ nonnunquam rubeſcens. Diverſis uſibus inſervit, carnemque inſulſam gratam reddit, modo in bullientem aquam injeceris. Sapientis dictum, *Acetum in Nitro.* Prov. XXV. 20. huic, non vulgari, nitro referre videtur.

Ab hoc lacu vix 3 milliaribus diſtat Monaſterium Coptorum, ſanctiſſimæ Virgini dicatum, in quo multæ ſpectantur cellæ ruinoſæ: alit tamen viginti quinque Monachos cum ſuo Superiore. In hujus Eccleſia habetur N. Teſtamentum Copto-Arabicè integrum.

Cumque hic jactaverint, Bahr Belama, i. e. Mare ἄνυδρον, quod precibus ſuis ſiccavit S. Macarius, & Piratarum naves inibi prædantes in lapides convertit, non procul abeſſe, iter meum ſtatim arripio, videoque in larga & arenoſa planicie diverſas congeries ſeu acervos ſaxorum, quos ſingulos naves vocant creduntque. Et profecto nunquam vidi ligna petrifacta magis ad vivum repræſentata. Ætitas etiam parturientibus, ut aiunt, propitios hic reperio.

A priori duabus leucis, E.S.E. eſt aliud Monaſterium, eidem Virgini in uſum Syrorum conſecratum. In cujus bibliotheca eſt Teſtamentum Vetus, duobus magnis voluminibus & literis Eſtrangelis conſcriptum. Monſtrant etiam vetuſtam

ſtam tamarindam è S. Ephremi baculo productam : luculentum quidem indicem, quod ad Syros olim pertinuit hoc Cœnobium. Prope eſt Cœnobium S. Ambabiſhoi, non adeo ruinis fatiſcens, ut cætera. In hujus Sacello ad Aquilonem pingitur S. Saba ΠΙΑΓΙΟC CABBA, magni apud Orientales nominis, S. Theodorus, &c. Refectorium etiamnum tenet, 50 vel 60 capax, lapideis ſedilibus & menſa inſtructum.

Ultimum quod ſupereſt 366 Monaſteriorum, (ut perhibent) & maxime ruinoſum, magni Macarii dicitur. In hujus bibliotheca multi habentur codices MSS. uti B. Chryſoſtomi vol. magnum in pergamena Copticè, ejuſdemque in S. Matthæum liber elephantinus, Arabicè; Lectiones Eccleſ. per univerſum annum 4 vol. magnis Copticè, &c.

In hiſce Monachi vivunt ſecundum primam eorum inſtitutionem, duriter ſatis & rigoroſè : lentibus, cepis, pane, oſtiatim emendicatis contenti. Multas jactant de ſuo Macario legendas, hyperbolicas, miraculoſas, & modum omnem & fidem excedentes; non aliter ac hodierni Græci de S. Georgio, aut Hiberni de ſuo S. Patricio. Deſertum, quod olim Nitriæ, hodie S. Macarii dicitur, locus eſt ſteriliſſimus, nihilque præbet ad edendum, vixque ad bibendum, vel comburendum. Aqua enim ſalſa eſt, neque cum Coava decocta ſaporem amittit. Arbores nullæ ſunt, neque arbuſta, nullæque, præter Shinân vel Alkali, herbæ. Tenet equidem ſalis lacum æquè ac nitri, nec non lapidum, calcis, & margæ fodinas.

Ab hoc Monaſterio in Toranam decem horarum eſt iter. Hinc Roſettam tendenti pagi ex utraque ripa apparent frequentiſſimi, & ſæpius ſibi invicem adverſi: uti Caphar Hagiazi E. Koum Sherook, ubi habetur trajectus non incommodus; & non multum abhinc Amrus E. Tonoub E. cujus inſulam medio eſſe ſpatio ſtatuunt Cairum inter & Roſettam. Giugili W. Salmîa E. Sherof E. cui opponitur Sherombey W. Phua E. præcipuum hujus tractus emporium, antequam Raſhid inclareſcere cæpit, & adhuc habet decem duodecemve faſtigiata Mohammedanorum templa; Berout E. huic Sindioun apponitur, non ignobilis pagus. Phedârah W. cui Shemſhara opponitur E. Moloubos E. quæ urbecula eſt, & huic oppoſita Teſinah W. Bianât E. Diba W. Alminay E. a margine Nili nonnunquam diſtans. Mohâllet Emir W, a fluvio etiam remotior Gidîa W. Abokſihoa E. Almadŷa E. Alharada E. Hali Guiny, Borge-Almaghizâl E. Roſetta W.

Roſetta, ab Orientalibus Raſhid, Canopus olim, ad Africanam Nili ripam ſita, celeberrimum eſt Ægypti emporium. Oppidum noviter exſtructum ad 4 uſque vel 5 ſtegas, ex coctis ut plurimum lateribus, & per fluvium extenſum. Nullis muris cingitur: aggere tamen ſabuloſo in ipſo oſtio probè munitus, qui naves prædatorias ab ingreſſu prohibet: etiam univerſas tranſire vetat, niſi exiguas admodum, aut ad magnam partem exoneratas. Ab urbe occaſum verſus, præter palmas vicenas, nihil eſt, niſi deſertum. Ad decimum quintum lapidem trajectus eſt, Madya

dya dictus, aliquibus tuguriis non penitus deſtitutus. Indeque per maris littora ad duas leucas & arenas devenio, quinque horarum ſpatio, Alexandriam.

Alexandria ruderibus ſuis penè ſepulta, ſita eſt ad mare Mediterraneum: portas etiamnum tenet & mœnia, licet hinc inde dehiſcentia, 5 mill. circumdantia, quæ Mohammedanos, ut ex inſcriptionibus conſtat, fatentur Authores. Locus eſt maleſanus, propter fœtentes undique aquas in puteis ciſterniſque diffractis ſtagnantes. Ideoque urbem tanquam carcerem effugiunt incolæ, & ut liberiori & magis ſalubri fruantur aere, extra muros portus verſus ædificant. Portubus gaudet duobus, majori ad Boream, quem tutantur duæ arces, ex utraque parte introitûs poſitæ; & minori, ad Occidentem, promontorio, ab aquilonaribus ventis munito. Columna, quam vocant *Pompeii*, extra urbem ad meridiem eſt: duo obeliſci intra. Ad Arcticum Pharos, inſula olim, hodie continentis pars eſt.

Ab Alexandria ad octavum lapidem, Euro-Aquilonem verſus, ſtatio eſt, non malefida carinis, & urbecula Bukeir dicta, arce, plateis, & officinis ornata. Ab hac ad Damiatam, maximè Orientalem Ægypti civitatem, paulo plura ſunt, quam centum milliaria.

Damiata, hodiè, olim Peluſium, a vicino forſan lacu admodum lutoſo, ἀπὸ τῆ πηλῶ vocârunt Græci, uti Arabes oppidulum, ad Orientale littus poſitum, Tina vocant a *tin*, quod ipſis limus eſt. Sita eſt in illa fluminis ripa, quæ Ortum ſpectat,

ab effluxu ejus circiter 5 mill. ad quem arces ſunt, & hinc & inde: ſed maximum munimentum præbet aggeſtum ſabulum, Piratarum navibus prorſus invium. Roſettæ ſecunda eſt, ſi non & æmula, ex laterculis ad 4 vel 5 etiam ſtegas fabricata. Ponitur in fertiliſſimo ſolo, oryzâ, citreis, & aliis fructubus Mochert, Nebet, Charoub, Mauz, nobis ignotis, abundante.

Offendi hic Coptum Meridionalem quondam ⲡⲓⲥⲏⲟ, qui de urbe quadam Suiet, ipſa Cairo vix minore, in Saïd ſeu Ægypto ſuperiori gloriabatur. Tria prima Concilia haberi ait apud eos Copticè: quartum execrantur, una cum Marciano ejuſque Imperatrice. ⲁⲛⲉⲭⲫⲱⲛⲏⲥⲓⲟⲛ, nomen Dei ἀνεκφώνητον pronuntiant, cum cæteris ſuis gentilibus, Ebnudi: eodem prorſus modo ac Judæi יהוה Adonai, & Samaritani ⲫⲫⲫ ⲡⲓⲣ Shemâ legunt.

Ex altera parte Nili eſt Salhïa, vicus naupegis & fabris refertus. Hinc adverſo flumine naviganti primus vicus eſt Horân E. Caphar Gioreed W. Almolſalla E. Boſtan. Caphar Shareſtee W. Phareſtee quinque templorum urbecula, E. Sherobaſh E. Beit Abogalib W. Inter hunc & Shorbeen duo ſunt largi vici, ſibi invicem adverſi, Dieſt W. Monſûra, magnum oppidum quatuordecem Turcicorum templorum, E. cui opponitur Talkahi W. Zemanŝd ſex templorum, E. cui adverſa Minnah W. Beit Alomar E. largum & pulchrè lateribus exſtructum oppidum. In hoc habent Copti Epiſcopum, tres Presbyteros, plures Diaconos, & eccleſiam, juſta camera non minorem. Huic adverſa eſt Ziphta. W.

cui

cui propè diſtat, ſed magis terram verſus, maxima totius Deltæ civitas, Moallah dicta. Kheâd E. Birſûm E. Bulâc E. Cairi, uti dixi, portus, populoſus ſatis, & per marginem Nili protractus.

De diſtantiis locorum per fluvium itineranti haud fas eſt pronunciare : ideoque nuda nomina appono, annotato tantum margine, ad quem ſiti ſunt, littera W. ſi ad Occidentem, E. ſi ad orientalem Nili ripam.

Nunc etiam reſpondere liceat ejuſdem D. Picques quæſtioni de tribus Ægypti dialectis, jam pridem per te tranſmiſſæ, uti ex MSS. Regio pag. 153. ipſe citat.

Prima igitur eſt lingua Ægyptiaca, ſeu Coptica propriè ſic dicta, a Coptis ſolum & præcipuè in Thebaide, ſeu ſuperiori Ægypto, quam Saïd Arabes vocant, uſurpata.

Secunda dialectus eſt lingua Græca, quâ utebantur Alexandrini maritimique accolæ, & Ægyptus inferior ſeu Septentrionalis.

Tertia dialectus eſt lingua Æthiopica inter Cataractas & ad ipſam uſque Nili originem in uſu. Priores nôrunt Arabes : hanc tertiam prorſus ignorârunt, quia eo uſque in Habaſſiam ſcilicet non penetrârunt Mohammedani victores. Hanc regionem & linguam non ſolum Arabibus, ſed ſoli penè orbi incognitam, felicitèr nobis revelavit V. Cl. D. Jobus Ludolfus in Hiſtoria ſua Æthiopica nuperiſque Commentariis.

Collationem inſuper petit per D. Doctorem Gale idem D. Piques loci cujuſdam in Pentateucho meo Coptico cum ſuo Manuſcripto Regio ; & curabo, ut conferatur, quam primum

D.

D. D^r. Bernard, quem hac de re conſului, perfectè convaluerit. Liber enim eſt Oxoniæ. Tugurio ſiquidem caduco & perſtillanti malè conveniunt theſauri, codices quantivis pretii, & auro contra non cari, inter κειμήλια ſolum in gazophylaciis reponendi. Tu verò cum agnoveris infelicitatem Amici tui, a libris Sociiſque, conſortio ſcilicet & viventium & vita defunctorum exulantis; perpende quæſo, quanto ipſè felicior, qui utriſque ex animo frueris. Fruere precor quam diutiſſimè, & vale.

Martii 21. 169½. R. H.

Aveo ſcire, utrum catalogus MSS. in Regia bibliotheca publici juris factus eſt. Denique rogo, ut prædicto D. Picques & illuſtriſſimo Abbati de Longuerue ſalutem meo nomine impertires quam plurimam.

Inſigniſſi-

Inſigniſſimorum Virorum ad

D. ROBERTUM HUNTINGTONUM

EPISTOLÆ.

I.

Ornatiſſimo Viro Dominoque colendiſſimo, D. Roberto Huntingtono, ſalutem plurimam apprecatur Michael Nau Sacerdos, e Societate Jeſu.

REDII non ita pridem Damaſcum, ubi hoc ſaltem mihi boni anno elapſo contigit, quod videre te, audireque, & colloqui tecum licuit. Huc cùm acceſſi, de te ſciſcitatus eſt reverendiſſimus ille è Græcorum natione Archiepiſcopus, quem ſimul, dum hic verſabaris, inviſimus. Is à me expetiit, ut & ſalutem tibi ipſius nomine multam dicerem, & abs te quærerem, an volumina illa præclara divini utriuſque Inſtrumenti, variis linguis excuſa, Londino devecta ad te pervenerint. Pollicitus es enim te daturum operam, ut quamprimùm

primùm afferrentur. Quod ſi cunctati ſunt ſacratiſſimos illos codices mittere, etiam atque etiam te obteſtatur, Vir clariſſime, ut ſi illi apud te Alepi, vel apud alium quemvis reperiantur, pretium ex æquo accipias, eoſque ad ipſum quamprimum mittas. Quos autem Londino expectas, eas tibi aſſervabis. Interim carere voluminum illorum uſu, non erit admodum tibi grave, qui Latinos, Græcos, Hebraicos, atque Arabicos codices aliunde habes. Id ſi feceris, Vir ornatiſſime, præclarè de Damaſcena Græcorum Eccleſia, atque in primis de illuſtriſſimo illo Antiſtite mereberis. Nec mediocre in me collatum beneficium ducam, ſi meis illud conceſſeris precibus; efficiamque, cùm ſe dabit occaſio, ut intelligas, ſic me gratiam excipere ſolitum, ut ejus nunquam memoriam deponam. Ad montes noſtros, non longe ab Berytana urbe poſitos, aliquot poſt diebus revolo. Keſroanos illos appellant. Ibi ſi aliud nihil poſſum, non deero ſaltem meas qualeſcunque preces pro Dominatione veſtrâ effundere, ipſique beatiſſima omnia ad Dei gloriam optare. Vale.

Damaſci, Idibus Aprilis 1673.

II. *Clariſſimo*

II.

Clariſſimo atque ornatiſſimo Domino, Eccleſiæ Anglorum Miniſtro, R. H. Michael Nau Sacerdos, e Societate Jeſu, S. P. D.

MOnuit Dominus noſter Optimus, Maximus, beatos vel hoc nomine pacificos, quod filii Dei vocabuntur. Quâ ſuaviſſimâ voce provocatus, de revocandâ apud noſtros veſtroſque concordia, non cogitaveram modò, ſed pro tenuitate mea egeram. Nec defuit nobis vehemens Dominationis veſtræ ſtudium, videbaturque rem adeò Chriſtianam apud ſuos abſolviſſe; ſpoponderatque, initio conſequentis hebdomadæ fore, ut certiorem me faceret, quo die convenire inter ſeſe poſſent veſtri ac noſtri, ut diſcordia omnis, ſummum Chriſtiani nominis dedecus, è medio tolleretur, ſicque ſtabilirentur pacta vetera, ut nullus deinceps vel fraudi, vel contentioni, locus eſſe poſſet. Quia ſic mihi dixerat Dominatio veſtra, ſic noſtros admonui, quos non ſine labore ad concordiam impuleram, vel repugnantes graviſſimis, ut aiebant, de cauſſis. Effluxerunt condicti dies, nec ullus e veſtris apparuit. Unde viſum eſt illudi noſtris, nec jam eſſe veterem concordiam ſperandam. Et eſſet certe abjicienda ſpes omnis, niſi rem aggredi Dominatio veſtra pro Chriſto Deo vellet. Jam quidem difficillimum mihi erit noſtros in

in meam adducere ſententiam; ſed ſi apud ſuos agat, movebo ego lapidem omnem, ut optata concordia ineatur. Eſt quidem noſtris non inutilis, ſed Dominis Anglis longè fructuoſior. Verùm noſtrum non eſt hæc caduca fluxaque intueri, quibus una Dei major gloria expetenda eſt. Principiis autem iſtis niſi conatu toto obſtemus, vereor, ut ſerò paremus medicinam. Dominationis veſtræ expecto reſponſum, quam adire per me non potui, ne quid ſuſpicarentur noſtri, & in me commoverentur. Valeat.

Alepi 26. Martii 1677.

III.

IDEM.

Clariſſime atque ornatiſſime Domine,

CUM hac hora meridianâ ſciam impeditum te, neque vacem pomeridiano hoc tempore, ut ad te adeam, & urgeat me optimus iſte Preſbyter, exiſtimavi, pro ſingulari humanitate tuâ, quam toties expertus ſum, non ægrè te laturum, ſi te per litteras conveniam, & obſecrem, ut Berytenſium Chriſtianorum, cujus iſte Paſtor eſt, miſertus, aliquid illi eleemoſynæ procures, quo duos alios Presbyteros, ſocios ſuos, in carcere detentos, & Chriſtianorum plurimos, Chriſtianum ob nomen vexatos, liberet. Dabunt hoc Chriſto Deo noſtro clariſſimi Domini Angli, & paucis

paucis nummis Chriſti nomine conceſſis, multam ſibi gratiam impetrabunt. Nec deerunt boni illi Chriſtiani pro ipſis toto corde preces fundere. Vale.

Alepi 19. Nov. 1677. *Clariſſime atque ornatiſſime Domine,*

Deditiſſimus in Chriſto Servus,

MICHAEL NAU.

IV.

IDEM.

Clariſſime atque ornatiſſime Domine,

Mihi Alepo diſcedenti hoc graviſſimum accidit, quod exierim ſic properè, ut vale Dominationi veſtræ dicere non licuerit per tempus. At Patri noſtro D'Hedicourt, veſtri perſtudioſo, id injunxi etiam atque etiam, ut vobis plurimam a me ſalutem diceret, ac cætera exequeretur officia erga vos mea, quibus ſe perfunctum ſcripſit, cum ſingulari humanitatis veſtræ commendatione. Quare nihil eſſet, quod amplius ſcriberem, niſi partium mearum duxiſſem eſſe, commonere vos, Juvenem è veſtris, qui nuper Alepo profectus eſt, quò perveniret in Indiam, ſupremum diem obiiſſe, tribus ab hac Maredina civitate diebus, in loco, cui Ozun Ziaret nomen eſt, ut mihi retulit vir è Syrianis Chriſtianus,

ſtianus, qui morienti adfuit, & mortuum ſepelivit. Chriſtianum hunc Amr Khan appellant, & multum infelicem illum Juvenem deprædicat. Quæſivi de ejus pecuniâ, litteris, ſupellectile; reſpondit relicta omnia apud ſervum ejus, virum Armenum, quem non alio nomine quam Mokdoſi vocitabant. Quâ fide hæc ſervus iſte acceperit, neſcio, neque divinare potui, an vos caſus iſtius peracerbi fecerit certiores. Quam ob rem hæc perſcripſi vobis, ut videretis, quid agendum, ne quid res veſtra publica, & clariſſimi Juvenis hæredes, aut Domini, caperent detrimenti. Huic veſtræ epiſtolæ aliam adjungo, quam ut Patri noſtro Superiori, Patri Renato Cliſſon tranſmittendam Dominatio veſtra curet, etiam atque etiam rogo. Valeat, nobiſque benè velle, ut cœpit, pergat.

Ornatiſſime atque clariſſime Domine,
Dominationi veſtræ addictiſſimus
in Chriſto Jeſu ſervus,

MICHAEL NAU, è Societate Jeſu.

Maredini in Meſopotamia, Nonis Auguſti, anno 1581.

V. IDEM.

V.

IDEM.

Vir ornatiſſime, mihique Domine colendiſſime,

EX quo ſcripſi tibi ſuperioribus diebus, non deſtiti in eos Sancti Ephremi ac ὁ Θεοφόρου Ignatii libros, quos poſtulas, perquirere. Eſt hic in D. Salomes Jacobitarum templo liber pervetus, in quo homiliæ Sancti Ephremi multæ in varia Evangeliorum dicta occurrunt, cum aliis quæ Jacobo Serugenſi tribuuntur. Eſt etiam Lexicon Bahluli perantiquum. Sed cùm ſint hi libri templo huic addicti, & quaſi voto conſecrati, negavit mihi Sacerdos poſſe vendi: annuit, deſcribi poſſe. Adjicit, in monte, qui vulgari idiomate *tûr alabedin*, dicitur, quaſi *mons Deo ſervientium hominum*, qui prope totus eſt Jacobitarum, ubi multa ipſorum templa & monaſteria, plures libros veteres inveniri, quos inter non dubitat reperiri, quos expetis. Videris, Vir ornatiſſime, quid ſtatuas, ſi velis deſcribi. Sacerdos ille, Syriacæ linguæ peritiſſimus, deſcribet, ſi jubeas; mittemus in montem illum, ubi ſpatio dierum viginti luſtrabit monaſteria, & ſi quid ſit, monebit, & afferet, ut deſcribat. Neque enim credit fieri poſſe, ut vendantur, quòd ſacri ſunt & devoti. Sed mitti Sacerdos ille non poteſt ſine expenſis aliquibus, paucis quidem, ſed fortaſſis nihil profuturis. Neque enim planè affirmat reperiri, aut, niſi ſua ipſum fallat opinio, haberi. Res uti ſeſe

habent, Vir mihi colendiſſime, deſcribo ; tutum erit jubere, meum obſequi, quem habebis ſemper ad nutus tuos

Vir ornatiſſime,
Servum in Chriſto Jeſu
addictiſſimum & obſequentiſſimum,

MICHAELEM NAU, è Societate Jeſu.

VI.

F. Angelus a S. Joſeph R. Huntingtono.

Clariſſime admodum ac meritiſſime Domine,

ROgatis tuis (præceptis mihi) honorificentiſſimis obtemperaturus circa relationes, quas exoptas, de Sabæorum Sectâ, cùm nondum hiſce ſatisfacere muniis libuerit : interim non ingratum tibi futurum arbitror promiſſum iſtud, nempe, quod, ubi primum commodiorem occaſionem nanciſci valuero, fidelem, quam majori valuero diligentriâ, nec non exactam hujus miſeræ gentis hiſtoriam auſpicabor ; quam equidem, pro antiquâ ſatis hujuſce Sectæ notitiâ, potuiſſem in promptu, rudiori Minervâ, tibi exhibere ; ſed nequid gravitatem ſcriptionis hujus ſeculi non ſaperet, neve quadantenùs notam incurrerem levitatis, munus iſtud aliquandiu differre ſatius judicavi, ità ut ante menſem elapſum, ſi occaſio ſeſe offerat, relatio-

relationem iſtam ad te miſſurus ſim. Interim verò notum planè compertumque velim Dominationi tuæ, gentem iſtam Sabæam, ſeu Mendaïcam, abuſivè tantum, Chriſtiani nomen ſibi adſciſcere; cum potiùs incircumciſa tribus Judaïca vocari debeat; ſi autem ob quædam Chriſtianitatis ſymbola, quaſdamque obſervantias, (uti fuſius enarrabo) æquivocum Chriſtiani nomen ipſis convenerit, dicendum planè, quod nunc prorſus ab omni Chriſtianitatis ſtatu degenerârunt; ità ut non Chriſtianitas, ſed campus Chriſtianitatis ſint; eo modo, quo de Troja Poëta percelebris inſit, hic campus, ubi Troja fuit. Excipiendi ſunt multi, qui noſtrorum operâ fidem Catholicam amplexi ſunt, ut fuſius enarrabo. Libros habent proprio ſuo conſcriptos idiomate, quos ſi Dominatio tua deſideret, innuere dignetur; tuis enim præceptis obediam, ſum etenim,

Dominationis tuæ,

Clariſſime ac meritiſſime Domine, obſequentiſſimus Servus in J. C. D. N.

Baſſoræ, 27 Maii 1677. St. N.

F. Angelus a Sancto Joſeph, *Carm. Diſc. Ind.*

VII.

F. Agathangelus a S. Thereſia Roberto Huntingtono.

Domine mi clariſſime,

VEſtræ Dominationis epiſtolam, die 7ª Septembris ſcriptam, recepi, quam maximè æſtimavi, & cum ingenti gaudio de ſuo zelo gaviſus ſum, idcirco, quantum in me erit, libenter ipſi inſerviam circa libros, quos à me deſiderat. Sabæi tres principales habent libros, qui apud ipſos æquali ſunt in veneratione; primum nominant *Sahaf Adam*, quem dicunt Protopatrem noſtrum Adamum â Deo immediatè recepiſſe: ſecundum, *Sahaf Hieahie*, ben Zachariæ, (quem quidam dixerunt eſſe venerabilem Præcurſorem Domini, S. Joannem Baptiſtam) & iſtum etiam dicunt Hieahie à Deo recepiſſe: & tertium *Divan*, qui alios multum excedit in magnitudine, ſed pari æſtimatione habetur. Iſti Sabæi, neſcio quâ zelotypia excitati, nullo modo permittunt iſtos libros in aliorum manus exire, & quamvis iſta natio multâ avaritiâ laboret, in hoc tamen difficilè corrumpitur. Duos primos nominatos libros reperi, & à quodam paupere neceſſitate oppreſſo eos emi; eo tamen pacto, quòd libri noſtræ domi ſervabuntur, donec reſponſum habeam à quodam Amico Aleppi morante. Pretium fuit circa primum 25 ſcuta, & circa ſecundum novem ſcuta:

ſcuta : & ſic à V. Dominatione reſponſum expectabo, antequam pecunias ſolvam. Quantum ad modum eas mihi tranſmittendi, mediante aliquo ex noſtris Chriſtianis, qui ſingulis annis huc accedunt mercium cauſâ, id facilè fieri poterit, nec etiam deſunt Religioſorum occaſiones, qui ſæpiſſime hac tranſeunt. Quantum ad tertium ſupra nominatum librum, i. e. *Divan*, hucuſque illum non potui adipiſci, ſpem tamen non amitto, quia pecunia apud iſtam Gentem magnam habet poteſtatem : & in hoc etiam vigilabo, propter veſtræ Dominationis amorem, cui totaliter me ſpondeo

Sincerum Amicum,

Baſſoræ 28. Novemb. 1681. F. Agathangelum a Sancta Thereſia,

C. D. S.

VIII.

IDEM.

Domine mi colendiſſime,

DIE 8ª Julii præſentis anni gratiſſimam Epiſtolam veſtram accepi, datam Dublini die 9ª Julii anni tranſacti, quâ video juſtum veſtrum deſiderium recipiendi tertium Sabæorum librum, vel, ut melius dicam, primum. Iſta enim cæca natio fatuè credit iſtum librum, vocatum *Divan*, fuiſſe a Deo datum Angelis 330000 annis ante-

quam crearetur Adam, quem dicunt creatum fuiſſe ab annis 277642, cui numero jungendo præcedentem, erunt à receptione hujus libri anni 607642. Dum eſſem Baſſoræ, omnem diligentiam adhibui, ut illum extraherem ex eorum manibus, ſed in vanum; quia nullo modo volunt ſuos libros notificari aliis nationibus: duos vero, quos tranſmiſi tibi, non ex Sabæis, ſed ex quodam Mahumetano, aliàs Sabæo, accepi; alium autem, quem antea tranſmiſeram cuidam alteri amico, ab uno quidem Sabæo acceperam, ſed mediante extraordinaria denariorum ſumma, cum juramento, me tale ſecretum ſervaturum erga alios Sabæos. Et taliter zelant ſuam legem, ut nuſquam, nec amicitiæ nec pecuniæ gratiâ, me voluerint illud idioma docere eorum Presbyteri; quod tamen legere & ſcribere ex memetipſo didici, non autem intelligere; nullam enim habent Grammaticam ſcriptam, & tantum verbo tenus ſe docent adinvicem Presbyteri, & pauci ſunt, qui benè intelligant. Cum iſtud idioma non multum diſtet ab Hebraico & Syriaco, quæ audivi te benè callere; non dubito, quin illud poſſis interpretari; & ideo iterum tibi tranſmitto characteres correſpondentes characteribus Hebraïcis & Arabicis ſecundum modum a b c d. Si tot occupationibus non fuiſſem impeditus Baſſoræ, forſan, cum adjutorio alicujus docti Hebræi, tales libros fuiſſem interpretatus: & cum nunc mihi incumbat directio noſtræ Miſſionis Perſidis, non poſſum per multum temporis conſiſtere in uno loco. Et ſic ſpero, quod veſtra Dominatio doctius & elegantius perficiet opus illud,

illud, ex quo curioſi pulchras fabulas poterunt admirari. Videas, in quo tibi poſſim ſervire, & jubeas, & valeas; ſum enim

Veſter affectiſſimus amicus;

F. Agathangelus a Sancta Thereſia,
Carmelitarum diſcalceatorum Superior.

Sciraſii in Perſide
8 Auguſti 1685.

IX.

Franciſcus de Incarnatione R. Huntingtono.

Illuſtriſſimo Sig. & Patrone mio colendiſſimo,

RItrovandomi in Indie, & appreſſo Bantam, non poſſo mancar di darli brevemente parte di quello ha paſſato nella guerra della medema diece meſi fà. Havendo dunque havuto il Rè di Bantam lite con il ſuo figlio circa il governo, ſi ribellò il figlio, & há richieſto aggiuto alli Ollandeſi di Batavia per combatter contra il ſuo Padre, quali venuti con 27 groſſe navi per la parte del mare; & il figlio del Ré con un' groſſo eſſercito per terra in 3, in 4 giorni de battaglia ſi ſono impadroniti della Cittá, & doppo haverla ſaccheggiata & abbruggiata, il Ré Padre ſi era fugito nelle montagne, & il Figlio perſuaſo eſſer il Ré, ſi trovó deluſo;

poiche li Ollandeſi, con tradimento, li diſſero, che con la loro forza preſero la Città, & che lui non era atto per governarla, & l'hanno meſſo in priggione. Li Signori Ingleſi di quélla Città 150 perſone, o famiglie in circa, che erano nella parte del Re Padre, havendo li Ollandeſi ſaccheggiate & abbruggiate loro caſe, furono conſtretti di ritirarſene con loro famiglie, parte in Madraſta, parte nella coſta d'Indie. Il Re padre in tanto unito con altri circumvicini Reguli, detti Maccaſſarii, vennero appreſſo la citta Bantam, & avelenato il fiume, che manteneva la medema in beveraggio, li Ollandeſi incautamente beuuta di quell' aqua, non eſſendo altera, ſono ſtati morti in gran quantitá; doppo accorti, portavano aqua per mare, con barche da Batavia, diſtante miglia 36. In tanto il Rè Padre con li Maccaſſarii s'en erano irrabiati, & erano riſſolti abſolutamente di ricuperar Bantam, prender Batavia, overe morir loro ſteſſi in continuo combattimento, con firma riſſolutione di diſtrugger tutti le Ollandeſi. Fermano tutti l'indifferenti, che li Ollandeſi ſaranno diſtrutti, mentre il Rè Padre con li Maccaſſarii, gente bellicoza, oſtinata, & in gran numero li hanno ſtrettamente aſſediati, & combattono alla deſperata, dove che all' incontro li Ollandeſi ſono ridotti deboli in numero in queſta ultima battaglia. Queſta è la cauſa, che le navi non vanno comme ſolevano ogni anno in Surat & altri porti. Queſto & quanto è ſucceſſo fin adeſſo nella guerra di Bantam, e li ſerva l'aviſo. Doppo haverla riverita

rita con il mio ſolito reſpetto, mi ratificaro per ſempre

Di V. S. illuſtriſſima

Iguli adi 15 Appl.
1682.

Humiliſſimo Servitore,

Fra. Franceſco dell' Incarnatione.

X.

R. *Huntingtono Johus Ludolfus.*

Plurimum reverende & doctiſſime Vir,
Domine honoratiſſime,

ACcepiſti procul dubio ex amicis meis Anglicis, quod in notitiam Samaritanorum Sichemitarum pervenerim. Cum igitur audiverim Reverentiam tuam quoque apud illos fuiſſe, & poſt reditum in Angliam literas ab illis accepiſſe, ideò cupidè deſideravi amicitiam tecum inſtituere, ut totam hiſtoriam cognoſcam, quomodo omnia acta ſint; quia rumor, ut vereor, multa falſa admiſcuit. Occaſionem igitur haſce literas ad te dandi mihi præbuit inſignis Vir, S. Georgius Aſhe, qui cum excellentiſſimo Ablegato Anglico, Domino Paget, in aulam Cæſaream tendente, hac tranſiit, meque, nunciatâ ab amicis ſalute, inviſit. Ille ſpem mihi fecit literas à te obtinendi, atque has curandas in ſe recepit. Ante omnia Deum precor, ut hæ te ſalvum

ſalvum atque incolumen reperiant: & poſthæc enixè rogo, ut, niſi originalia Epiſtolarum Samaritanorum, (quod quidem flagrantiſſimè optarem) fidelitèr remittenda, ad me mittere velis, Apographa ſaltem mittas, ut cum meis conferre poſſim, idque gratiſſimo agnoſcam animo. Porro ſcire veliu, quomodo illi nomen יהוה legunt; & num & illi expectent Meſſiam aliquem; vidiſti procul dubio in Antiquitatibus Eccleſiæ Orientalis epiſtolam 1. Samaritanorum ad Scaligerum, ubi pag. 125. nomen Meſſiæ extat השהב *haſceab*. Quid hoc ſibi velit, exponas mihi obſecro. Denique quæ ratio annorum apud eos ſit. Nam A. 1685. illis eſt annus 6125. In quibus ſi me certi quid docere poſſis, rem mihi facies gratiſſimam & publicè prædicandam. Vale.

Dabam Francofurti ad Moenum die XXVI Octobris A.D. 1689.

Rever. nomini tuo addictiſſimus, Jobus Ludolfus, *ſuæ Cæſ. Majeſtatis Conſiliarius.*

Ex literis D. Ludolfi ad Fratris filium.

D. Roberto Huntingtono plurimam ſalutem meo nomine nunciari peto: acceptiſſima mihi fuit Epiſtola ejus doctiſſima, multis ſingularibus de rebus Samaritanorum referta; fateor me in multis meliùs informatum fuiſſe; gratias maximas propterea illi proximè agam. Vale.

Francofurti die 4. Maii, Anno 1690.

XI.

J. Ludolfus plurimum reverendo atque clariſſimo Viro, Domino Roberto Huntingtono S. P. D.

IMmortales tibi debeo gratias pro humaniſſimis pariter ac eruditiſſimis literis tuis, ultimo die Martii ad me datis, in quibus deſideria mea partim impleviſti, partim accendiſti. Imprimis verò mihi auditu gratiſſimum fuit, quod de converſatione tuâ cum Samaritis narras; exinde proximâ occaſione corrigetur, quod ex ſiniſtrâ informatione in notis ad Epiſtolam Samaritanorum in Angliam miſſam, dictum eſt, quaſi tua Reverentia illis perſuaſiſſet, Fratres eorum in Angliâ degere. Tibi debetur inſtauratio commercii literarum, quod Scaliger tantoperè deſideravit, cum manipulo iſto miſeræ Gentis, à tot ſeculis, in tantis perſecutionibus, per tantas rerum omnium mutationes hucuſque conſervatæ: quod ego non ſine ſingulari Dei providentia factum crediderim, ob cauſas, quas in præfatione ad Epiſtolas Samaritanorum expoſui. Cum igitur Meſſiæ noſtri, ut memoras, non aliam, quàm honorificam, mentionem in Chronico ſuo faciant, agedum, noli ceſſare benevolentiâ atque charitatis Chriſtianæ officiis eos demulcere; ego ex meâ parte, ubicunque modò potero, illis benefacere pergam, & nuper admodum Conſuli, ut vocant, Belgico, Calkbernero, in mandatis

dedi

dedi, ut, ſi fieri poſſit, Juvenem peritum linguæ & ſcripturæ eorum, nec non bonis moribus præditum, ab illis obtineat, & ad me mittat, in omnis generis artibus & doctrinis inſtruendum. Sed o utinam Juvenis ille Habaſſiâ oriundus, quem ingenioſiſſimum prædicas fuiſſe, ad me amandatus fuiſſet! omni opera atque ſollicitudine illum variis ſcientiis imbuiſſem, atque inſtructiſſimum in patriam remiſiſſem. Principum iſtæ curæ ſunt, fateor, rem familiarem meam ſuperantes; attamen, quantum exiguæ meæ vires patiuntur, præſtabo, quantum potero, donec, finito bello, Deus excitet Principum animos, ut tanto negotio invigilent. Jam ſub prelo fervet Commentarius meus; teſtimonia & documenta in eo contenta demonſtrabunt inſignem Habeſſinorum indolem; quæ curam atque favorem Principum noſtrorum meretur. Tabulam capitum ad fratris filium, Domini Principis Georgii Secretarium, miſi, qui eam tecum communicabit. Sed ad Samaritanos redeo, & ſcire cupio, num D. Marſhallus, piæ memoriæ, commercium literarum cum Samaritis habuerit, & num Epiſtolæ eorum reciprocæ adhuc Oxonii extent? Pro reſponſione ad quæſtiones meas gratias ago maximas, Si ſpecialiter & per computationem ſingularem indicare mihi poſſes, unde Epocha annorum mundi, quâ utuntur, ſibi conſtet, foret mihi gratiſſimum. D. Dudleyo Loſtuſio incolumitatem ac proſpera quæque precor, nec non omnibus in Angliâ amicis, privatim D. Hyde & D. Bernardo, quos velim amiciſſimè meo nomine

mine ſalutes, meæque benevolentiæ & ſtudii erga te certus, ſalvus atque ſanus diu vivas.

Francofurti die 14 Maii,
A. S. 1690.

XII.

R. Huntingtono Jobus Ludolfus.

GRatiſſima mihi fuit Epiſtola tua, Vir plurimum reverende & obſervande. Dolebam equidem valde, cum deperdita tua κειμήλια prædicares; at mox exhilaratus ſum, cum bona nova de felici prælio, & ſtatim recuperato Dublino, ex Hibernià nunciarentur; eo lubentius igitur pennam arripui, ut tibi ex animo gratularer de ſervatis tuis rebus, quibus, ut ad Eccleſiæ & reip. literariæ incrementum ſalvus atque ſoſpes diu utaris, ex animo voveo atque opto. Si igitur, ut ſpero, res tuas omnes ſalvas repereris, enixè rogo, ut mihi literas Samaritanorum, Samariticis literis deſcriptas, quam primum mittere velis, meique memor ſis in reliquis meis petitis; id publicè prædicabo. Interim fac, ut valeas. Deus annuat voto meo, teque diu incolumem ſervet.

Dabam Francofurti ad Moenum die 23. Julii 1690.

Tui ſtudioſiſſimus,
JOBUS LUDOLFUS.

Renuncia, quæſo, tempeſtivè, num omnes res tuæ adhuc ſalvæ ſint.

XIII.

XIII.

Ludovicus de Four Roberto Huntingtono.

ÆQuum eſt, Vir doctiſſime, ut pro tantis beneficiis tuis in me prorſus immeritum collatis ſaltem tibi gratias agam; utinam par pari tibi referre poſſem. Faxit Deus, O. M. ut aliquando de te benè merendi occaſionem nanciſci queam. Interim gratulor tibi, primùm, quod in patriam redux incolumitate fruaris: quam ut tibi diù ſervet ſupernum Numen, ipſum intimo animo deprecor; prætereà, quod tam divitem librorum manuſcriptorum gazam in Oriente collegeris, ut cum regiis gazis æquiparari poſſit. Summopere quidem lætatus ſum tantas litterarias opes tam digno ceſſiſſe poſſeſſori. Valdè delectarunt me excerpta Chronici Samaritani, ex quibus utilia multa me eruere poſſe ſpero. Cum hac in urbe jucundiſſimo colloquio tuo frui mihi permiſit Deus, oſtendi tibi exemplar meum Pentateuchi Arabico-Samaritani, quod ex duobus manuſcriptis bibliothecæ Regiæ inter ſe collatis deſcribi curavi, cum quibuſdam notis marginalibus, quas ex Arabico ſermone in Latinum converti. Hanc opellam ad te in Angliam tuo judicio ſubjiciendam tranſmitterem libenter, niſi tibi gravioribus occupationibus diſtento me nimis importunum exhibere vererer. Te etiam, eruditiſſimumque veſtrum Pocokium, Arabiſmi Oraculum, conſulere vehementer optarem circa nonnulla loca,

quæ

quæ reperi difficillima in Arabicis libris, & quorum hactenus interpretationem ſufficienter aſſequi non potui, præcipuè in hiſtoria Tamerlanis. Hujus exemplar typis excuſum totum contuli cum codice manuſcripto præſtantiſſimo, ſcripto anno Hegiræ 855. quindecim ſcilicet annis, poſtquam Author opus ſuum publici juris fecit. Hunc codicem mihi commodavit D. Ludovicus Piques, Doctor Sorbonicus, Vir linguarum Orientalium ſtudioſiſſimus, & mihi amiciſſimus. Hujus codicis ope multa in excuſo errata emendavi; nonnulla, quæ vel prorſus abſurda, vel nimis obſcura videbantur, facilia reperi, ob diverſas lectiones codicis manuſcripti, quas omnes ſuper oram excuſi notavi, & multas, quæ in ipſo deerant, voces, interdum lineas integras, & quidem plures, deſcripſi: concluſionem item ſive *chatimat*, in qua tam de ſeipſo quam de opere ſuo multa ſcitu jucunda & utilia narrat author. Impreſentiarum igitur litteris orientalibus, & præcipue Arabicis, fere totus incumbo. At ſtudia mea diu intermiſſa fuere. Paucis enim diebus, poſtquam à nobis diſceſſeris, acutiſſimo variolarum morbo, non ſine mortis periculo, & acerbiſſimis doloribus correptus fui, longoque tempore elangui; ſed me omnino incolumem præſtitit Deus. Vale, Vir doctiſſime, & quandiu vixero, me tibi devinctum fore non dubites; ſicut & amicorum tuorum albo me inſcriptum fuiſſe te non obliturum eſſe ſpero.

Ludovicus du Four de Longuerue,
Abbas Septem Fontium in Theraſcia.

XIV.

XIV.

Ornatiſſimo Viro, Roberto Huntingtono Anglo, Carolus Balſamus S. P. D.

UTinam mihi tantum ſupereſſet ingenii, quantum, quæ tua humanitas & benevolentia erga me eſt, tribuis, ut ſatis eſſe poſſit ad inſtituenda in Archimedem noſtrum ſcholia & commentarios. Verum, quæ meæ non ſunt partes, explevit olim alter Archimedes, non Syracuſius, ſed Meſſanenſis, Franciſcus Abbas Maurolycus. Quæ autem ſcripſit ipſe, jacebant apud honeſtos ſui ſanguinis hæredes, à quibus, dum Meſſanenſis vigebat Reſpublica, & illuſtriſſimi Senatûs noſtri amplitudo & majeſtas, ipſo jubente, Typographis tradita fuere, procurante primùm editionem Jo. Alphonſo Borellio: (Viro tibi ſatis perſpecto, & Marcello Malpighio quoque conjunctiſſimo) dein verò aliis eruditis Meſſanenſibus, qui editionem ad illam uſque metam, quam vidiſti, perduxerant. Perturbata jam bello Republicâ, præſertim ex reditu ad priorem Dominum noſtrum, Carolum Regem, (cujus nomini ſempiterna incolumitas) ad diſceſſum Gallorum deceſſit ab Urbe noſtra is, qui acceptâ pecuniâ, acceptâ ſimul provinciâ, ad opera excudenda & imprimenda poſtremus omnium incumbebat, & penes quem Authoris manuſcripta ipſa extitêre. Idcircò quicquid impreſſum (licet inchoatum & operas adhuc diſtinens) à fiſco Regio adinventum in ædibus Procuratoris,

qui

qui deceſſerat, Panormum tranſmiſſum fuit, ut veniret; quo loco marinis fluctibus madefactum, inordinatum, mutilum, & adeò contemptibile apparuit, ut parum abfuerit, quod ad pondus tabernariis & propolis non divenderetur, niſi obſtitiſſet caſu amicus meus, Muſarum quoque amantiſſimus; qui de re totâ me monuit, & hortatus impensè eſt, ut ad promiſſa in proœmio reliqua Authoris manuſcripta perquirenda omni, quo poſſem, ſtudio me converterem. Hæc ago, & ut benè agerem, diſſitas in regiones epiſtolas mittere oportuit ad diſperſos, qui aliquid luminis & ſpei pro recuperandis autographis præſtitiſſent. Quod ſi non favebit optatis hujuſmodi ſedula perquiſitio, in animo eſt nudum textum reliquorum operum, quæ in præfatione promittuntur, typis apponere, adjecta ad Lectorem monitione de reliquis, quæ vitio perturbatarum rerum Meſſanenſium diſperiere; quod minùs erit incommodum profectò, quam ſi ob binas opellas, quæ in calce erant addendæ, tota voluminis moles, non ſine dolore literariæ reipublicæ & jacturâ ſapientiorum, ſupprimeretur.

Tuas tamen, quas pluries exoſculor, manus non effugiet præclarus hic labor, ſive integer, ſive mutilus apparebit. Interim de te meliùs loquere, ut te videam plenius, agnoſcamque ex legibus amicorum, qui perſpecti ſecum ipſis valdè eſſe debent. Exponè, quæſo, aliquid de profeſſione tua, de natalitio, ut vos dicitis, comitatu; an quidquam ſcripſeris, vel ſcribendum mediteris, unde addiſcendi nova ac præcelſa mihi anſam præbeas; itemque de Academia,

cui in Anglia adſcriptus es. Anglorum enim Academiis multum defero, & ob id queror Bibliothecæ noſtræ pauperiem, quæ recentiorum, quos Septentrionales Scholæ fœcundiſſime progignunt, codicum inanis ac jejuna mihi videtur. Diteſcat igitur per te, ac largifluam benignitatem in me tuam omnibus bonis, ſive quæ ad politicas literas, ſive ad omnem Philoſophiam & Matheſin, ſive ad recentiorem medendi disciplinam pertinent, amplifica. Syllabum deſidero recentiorum Authorum, quos Typographiæ celebriores magnæ Britanniæ vulgavere; & inſuper & inſigniorum hominum, qui nunc florent in iis regionibus florentiſſimis, quibuſcum amicitiam noſtram intertexere, tanquam in odorum vernantemque faſciculum, ne obliviſcaris. Quicquid autem erit, quod ex hoc loco & in me ſitum erit, audacter expoſtula, & jube. Cura, ut valeas, dum compendium tui curſus in Patriam, & incolumitatem in proprias ædes, apprecor augurorque. Iterum vale,

Non. Kal. Mar. 1682.
Meſſanæ in Mamertino noſtro Gymnaſio Societatis Jeſu.

Heſterno die mecum locutus es de Cometis. Eſt penes me opella Italica; qualiſcunque, tibi in mei mnemoſynon, ſervi tui, cedat. Et gratioſum me apud Conſulem nationis tuæ fac, ut faciliùs ſancita inter nos fœdera amicitiæ, ſcribendis ultro citroque epiſtolis, foveantur. Sodalibus tuis ſalutem meo nomine dicas, & cum Senioris tum Junioris nomen reſcribe. XV.

XV.

Molto illuſtre Signore,

CI ritroviamo con la gratiſſima di V. S. molto illuſtre, dalla quale intendiamo l'intentione e pia domanda ſua, in haver appreſſo di lei la nota de' Libri de' Concilii, delle diverſe verſioni di Scrittura, e' delle Opere de' ſacroſanti Padri, & altri Autori, l'opere de' quali ſi ritrovaſſero appreſſo di noi; la quale dimanda quanto piú é giuſta & raggionevole, tanto piú é a noi di roſſore. Poiche ſe bene la noſtra Siria é ſtata pia Madre del genere humano, pia Regina, del mondo, e pia jnventrice delli caratteri & altre ſcienze, tanto humane quanto divine; ſe bene há havuto per Cittadino il Ré della gloria, e la Scientia del Padre eterno, quale in eſſa há dimorato tutta la ſua vita, & operata noſtra ſalute; ſe bene la Siria é ſtata la Nutrice de' Patriarchi, de' Profeti, delli Apoſtoli, de' Martiri, de' Religioſi, de' Scrittori profani & Eccleſiaſtici, & in eſſa è ſtata eretta la pia ſede, e da eſſa é ſtata propagata la ſantiſſima fede: con tutto cio queſto giardino, quanto é ſtato ſuperbo e magnifico per i tempi paſſati, tanto piú hora ſi trova deſolato & calpeſtato. Poiche hormai ſarà da mille anni, che ſtà ſotto il tirannico giogo dell' Infideli, e per la lettura delli Annali ſaprà V. S. beniſſimo, quanti aſſedii, quante perſecutioni, quante inondationi, quanti abbruggiamenti, quanti eſilii e morti hà patito

In quanto á libri ſacri:

Il Novo Teſtamento in Siriaco & Arabico, con diverſi Commenti.

L'Antico Teſtamento con la verſione de LXX.

Il Commento di S. Effrem ſopra il Pentateucon.

Il Martirologio de' SS. al modo de' *Greci*.

Diverſe Hiſtorie e Vite de Santi, alcuni congregati, e alcuni ſeparati.

Li Concilii primi della Chieſa.

Diverſe libri de Jure Eccleſiaſtico e Civile.

Delle heredità.

Delle virtù Cardinali.

Opere de' Padri.

Homeliæ di Santo Atanaſio Geroſolimitano.

Hinni di Santo Jacomo Scogita in verſo Siro ſopra l'Evangelii.

Lauſiaca Palladii.

Santo Jeronimo de vita Monaſtica.

S. Jo. Marone della perſona & nature di Chriſto, e de Canone Miſſæ, e de Ordine.

Iſaac Syro della divina Providentia.

Jo. Damaſceno.

Simone Stillita di vita Monaſtica.

Dialogo di S. Baſilio di vita Monaſtica.

Gabriele Barchelao di Jure Eccleſiaſtico, e de' ſette Sacramenti, & altre Poeſie.

Jo. Heſronita dé ſette Sacramenti.

Le heticha della vita religioſa.

Honain Eben Eſhac de Medicina.

Introduttione nella Logica di Hoſain Abu Ali.

Dittionario Siriaco-Arabo di Joſue Bar Eli.

Jl Bahlul, ò Dittionario Arabo di Moſe Aniſtio.

Con innumeri fragmenti di Homelie de' SS. Efrem, Iſaac, Jo. Chriſoſtomo, Siſto Romano, Evagrio Antiocheno, & Abbati Eſaia, Saba, Macario Egitio, Macario Aleſſandrino, Abraamo Neſtorio, Ammonio, Gregorio Monaco, Giovanni Monaco.

Queſto quanto ci vien per le mani, e ſi trovano in diverſi luoghi diverſi libri e commenti, li quali per non eſſer in ſtampa, ne venute nelle noſtre mani, non ne facciamo mentione. Et in quanto al vendere di queſti libri, non è poſſibile per eſſer troppo cari, e mancanza di chi ricopii per la troppa tirannia de' Miniſtri.

In quanto alla lingua, ch' adopriamo ordinariamente nelle coſe Sacre, è la lingua Siriaca, chiamata anticamente la Caldea, ſe bene ſi ritrova in ambidoi qualche differenza accidentale nelle vocali; mà nel diſcorſo commune trà il volgo adopriamo la lingua Araba, ſe bene nello ſcrivere ordinariamente adopriamo li caratteri Siriaci, tanto che le voci Arabi, ſcritte in Siriaco, ſi dicono Carſciuni, come vi ſtà notato da Giorgio Amira nella ſua Grammatica Sira-Latina.

E non occorrendo altro, ſalutiamo cariſſimamente ſua Signoria molto illuſtre, & ce li offeriamo prontiſſimi in ogni occaſione, & con pregarli dal Signor il colmo d' ogni vero bene, reſtiamo

Di V. S. molto illuſtre affettuoſiſſimo,

Di Canobino, 8 Agoſto 1673. Stefano Pietro Patriarca Antiocheno.

XVI.

IDEM.

Molto illuſtre e molto reverendo Signore,

DAlla tua gratiſſima delli 14 di Novembre dell' anno paſſato non prima d'hieri capitata nelle noſtre mani, intendiamo l'ardente deſiderio, ch'ha' nel ſuo animo d' havere le Opere delli noſtri Antichi, de quale a pena ſe ne reſta la memoria nell' iſteſſa Siria per le non interrotte guerre, incendii, tirannie, e calamitá de' tempi per lo ſpatio di dieci ſecoli; ma l'animo dotato di virtú, qual é quella di V. S. molto illuſtre, non ſi preggia d'opporſi che alle maggiori difficoltá, qual cedro al carico di gran ſome. In quanto al Commento del Serafico S. Efrem, ha certo, cha habbiamo adoprata tutta la diligenza e trovato il Commento della Geneſi, l' habbiamo comprato, e ſcritto doe lettere, una per V. S. e l' altra per il Signore Gio Langley

gley per mandarlo. Occorſe che per l'incommoditá del tempo fummo coſtretti di venire in queſte parti per dar remedio ad alcuni negotii, e in quella ſettimana fú dato l'aſſalto al paeſe talmente, che la gente fú diſperſa di quá e lá, e non ſappiamo, ſe il libro ſia perſo in caſa ó per ſtrada, ſenza havere certa nova di quel che li ſia accaduto. In quanto al Lexicon del Bar Bahlul ſono doe copie, una antica, della quale non ſappiamo ſe non il nome, e ſi trova un altro Lexicon Siro-Arabo del medeſimo nome, e di queſta non ſi trova ſe non una ſola copia. Et il medeſimo diciamo dell' altri libri di Teofilo Maronita, e di Thabet Eben Corrah, e della verſione del antico Teſtamento, nomata Heraclenſi, non l'habbiamo havuta per le mani, ſe bene habbiamo viſto la Traſlatione dell' Evangelii della lingua Greca in Siro dal detto Thomas Heraclen. e queſta forſe ſi puó trovare in queſte parti, e forſe, ſe non erriamo, ſi trova la Verſione del Apocaliſſi del medeſimo Autore; má quella dell' Antico Teſtamento non l'habbiamo viſta. Pero V.S. molto illuſtre ſi ſcuſera, ſe non li potiamo ſervire ſecondo il noſtro affetto, aſſicurandole che li ſuoi negotii ſarebbero a noi ſommamente cari, e maſſimamente in materia tanto pia e di merito. C'offeriamo prontiſſime le noſtre ſe- bene ſcarſe forze: e con augurarle dal cielo il colmo della proſperita reſtiamo di tutto cuore

Di V. S. molto illuſtre e molto reverenda affettuoſiſſimo,

Stefano Pietro Patriarça Antiocheno.

Di Marſcialita 4° di Februario 1674.

XVII.

XVII.
IDEM.

Molto illuſtre e reverendo Signore,

CON ſommo noſtro guſto habbiamo ricevute il libro Arabo, quale crediamo, che ſia parto del ſuo acuto ingegno, mentre che ſappiamo, che V. S. illuſtre è rara non ſolo nell' intelligenza della lingua Araba, mà anco molte elevate nobile ſcienze Theologiche, e molte exercitate nelle Sette Orientali: del che molto ringratiamo V. S. dell' affetto e corteſia, che moſtra verſo di Noi. Ma perche ci è arrivato il ſudetto libro ſenza una ſua lettera; habbiamo congetturato, che V. S. habbi havute à male, perche non habbiamo dato riſpoſta alla ſua gratiſſima lettera, & piena di corteſiſſimi termini, però ſia certa V. S. che la ſua lettera s'habbiamo ricevuta per mezzo del Signor Vander Weyden, e s'habbiamo letta con noſtra ſomma contentezza, mà perche in detta lettera deſiderava, che gli cercaſſimo l'opere di S. Efrem ſopra il Pentateucon, overo Onain Ebn Iſaac, o il Lexicon di Bar Bahlul, ò qualch' altra opera degna, ci fu neceſſario prima di dar la riſpoſta far diligenza di cercare detti libri in queſti paeſi di Keſroan (oue ci ritrovavamo fugitivi per le troppe oppreſſioni & angarie dello ſtato Tripolitano) dopò qualche tempo di ricerca habbiamo trovato il libro Medicinale d' Onain Ebn Iſaac, e vedendo che era paſſato qualche tempo, e le ſtrade

erano

erano poco ſicure per le differenze tra il Baſcia di Tripoli e li Governatori del Paeſe, giudicaſſimo eſſer meglio far copiare detto libro, & inſieme mandarlo con la riſpoſta; mà ne queſto ſi potè mettere facilimente in opera, non concorrendo li mezzi con il fine deſiderato; perche il Copiatore del libro per molti negotii di ſua caſa, e maſſime per le facende della ſeta, ancora non hà potuto finire di copiare il libro: quindi per correſpondere al favore del novo libro mandatoci, e per dar riſpoſta alla ſua gratiſſima, gli mandiamo la preſente con aſſicurarla, che procuraremo al poſſibile il libro d' Onain, e che gl' habbi quanto prima. Però ci ſcuſerà V. S. della tarda riſpoſta, e ſia ſicura, che l'affetto, che portiamo a V. S. non ſolo per ſue rare qualità, mà anco a tutta la nobiliſſima Natione, è ſommamente grande, come lo poſſono atteſtare il Signor illuſtriſſimo Conſole, il Signor Hazuel, il Signor Scerman, & altri cariſſimi amici per tutto il tempo, che ſiamo ſtati in Aleppo, quali farà il favore di ſalutare da parte noſtra cariſſimamente. In quante alle altre opere accennate da V. S. habbiamo cercate aſſai in queſte parti, mà non l'habbiamo potute trovare, e ſia certa, che non mancaremo d'uſare ogni diligenza per darli guſto, con pregare ſua Divina Maeſta di concedergli ogni felicità e vera contentezza, e celeſte benedittione, ci gli offeriamo per ogni ſuo deſiderio, reſtando

Di V. S. molto illuſtre e reverenda

affettuoſiſſimo di tutto cuore,

Di Keſroan 3. Luglio 1675.

Stefano Pietro Patriarcha Antiocheno.

XVIII.

XVIII.

IDEM.

Molto illuſtre e reverendo Signore,

CI troviamo con la gratiſſima di V. S. delli $\frac{14}{4}$ d' Aprile, dalla quale ſcorgiamo il ſuo grand' affetto verſo di Noi, e la ſua bontà e caritativo zelo verſo li poveri di queſto Convento, con haver mandate inſieme con il noſtro venerando Fratello Monſignor Giuſeppe 15 pezzi, del che ne reſtiamo obligati alla ſua carità, con imporli, accio preghino ſua Divina Maeſta, che gli conceda il colmo d'ogni vero bene. Intorno all' opere di S. Efrem non mancaremo di fare tutto il poſſibile, poiche ſia V. S. ſicura, che in tutto quello, che potiamo ſodisfare al ſuo deſiderio, non mancaremo, maſſime in ſimile negotio tanto pio e utile per la Chriſtianità. Per tanto ci offeriamo prontiſſimi ad ogni ſuo deſiderio, reſtando

Di V. S. illuſtriſſima e

reverenda affettuoſiſſima,

Di Canobino $\frac{1}{11}$ Maggio 1676.

Stefano Pietro Patriarcha Antiocheno.

XIX. *IDEM.*

XIX.

IDEM.

Molto illuſtre e reverendo Signore,

DAlla compitiſſima di V. S. intendiamo con gran giubilo il ſuo felice ritorno da Egitto per ritornare alla deſiderata Patria per via d' Aleppo, ci ſarebbe molto à caro di poter godere la ſua perſona e de ſuoi diſcorſi per alcuni giorni: mà eſſendo legittimamente impedito per l'auſterità del tempo hiemale, preghiamo ſua divina Maeſtà, che dia à V. S. feliciſſimo viaggio, come anco di vedere tutti li ſuoi nobili Parenti in ſtato di bona ſalute.

In quante à quel che ci ſignifica V.S. del Commento di S. Efrem, del Lexicon Bar Bahlul & il libro di Seth, circa l'ultimo non è poſſibile, che ci lo moſtrino, eſſendo ciò appreſſo di loro prohibito; & il Lexicon di Bar Bahlul è opera molto ſteſa e imperfetta, della quale non ſi trouva ſe non una ſol copia di molta utilità e neceſſità per queſti Religioſi, tante che non poſſono privarſi d'eſſo. Et in quante al Commento di S. Efrem da che V. S. l' hà mandato da Aleppo, l' habbiamo fatto trattenere nella caſa conſolare de' Signori Fiammenghi, & habbiamo fatto cercare per tutte queſte parti, ſe ſi poteva trovare altra copia per rimandargliela, non ſi è potuta mai trovare; mà però vedendo, che V. S. hà gran fervore d'haverlo per darlo alle ſtampe, ce ne priviamo d'eſſo per ſodisfare

disfare al ſuo pio deſio, volendo che queſto ſia pegno perpetuo del noſtro affetto verſo la ſua dottiſſima perſona e benemerita, e quando ſarà arrivata con proſperità in Aleppo, la preghiamo ſi degni di raccommandare all' illuſtriſſimo loro Signor Conſole & nobili mercanti d' haver riguardo à queſta noſtra fede, tanto tiranneggiata, e priva d'ogni aiuto, eſſendo proprio d'un animo nobile & humano, come il ſuo, procurare il bene delli affettionati amici, e maſſime quando ſono biſognoſi. Ci offeriamo pronti ad ogni ſuo deſio, e con pregarli di nuovo & augurarli ogni deſiderabile contentezza e vera proſperità, reſtiamo

Di V. S. illuſtriſſima reverenda

Di Canobino 2 di Decembre 1680.

affettuoſiſſimo di cuore,

Stefano Pietro Patriarcha Antiocheno,

XX.

IDEM.

Mollo illuſtre e molto reverendo Padrone,

RIceviamo gratiſſima ſua, con quel ch'ha voluto mandare per mezzo del Signor Pietro Vanderdrieſche Conſole di Tripoli, del che reſtiamo ſommamente obligati a ringratiare V. S.

S. molto illuſtre e molto reverenda. Ci accenna per cauſa delle lettere di Santo Ignatio Patriarcha di queſta Antiochena ſede, ſe ſi ponno trovare nella lingua Sira; è certo, che quelli antichi Padri l'haveſſero tradotte in queſta lingua, mà in quanto a noi, l'habbiamo mai viſte; e per aggradire alla ſua pia domanda, non mancaremo di far tutto il poſſibile in cercare, ſe ſi ponno trovare in queſti paeſi. In oltre ci ſignifica, che nelle loro parti di già hà dato alla luce il Commento di Dioniſio Siro ſopra l'Evangelii; e che li ſarebbe molto a caro di ſapere qual ſia ſtato queſto Dioniſio, in qual tempo e luogo ſia fiorito, e di che materia n'haveſſe ſcritto. Di cio non potiamo affermare coſa di certo per non haverlo viſto; però in quanto ci potiamo imaginare, è che ſia Dioniſio Bar Salibi, il quale fu di profeſſione Giacobita, nacque nella cittá Militinenſe, e eſſendo molto applicato alli ſtudii fú creato Veſcovo di Gramnichi, quale hoggi ſi chiama Marhaſſi. Di la fú promoſſa alla ſede di Amed, quale hoggidi ſi chiama Diarbacr, & oue ſi chiamava prima Giacomo, di poi nell' Archieveſcovato di Amed ſi cognominó Dioniſio. Viſſe nell' 12 ſecolo, e nell' anno 1480 da Aleſſandro, quale correſponde al 1169 del Signore, reſe lo ſpirito al Creatore, & fú ſepellito in Meletia, oue nacque. Queſto e quanto appartiene alle ſue qualita, e che il detto Autore ſia il Commentatore dell' Evangelii, ci troviamo indotti a cio affermare, perche il detto Dioniſio Bar Salibi ha commentato il Vecchio e il Novo Teſtamento. In oltre ha ſcritto di diverſe materie

terie, Teologiche e Filoſofiche, cioe *de Deo, de Trinitate, de Incarnatione, de Angelis, de Animabus, de Sacerdotio, de Elementis,* & *de Arithmetica.* Inoltre ha ſcritto contra li Arabi & Agareni, quali chiamiamo Moſlamin ; contra li Hebrei, contra li Neſtoriani, contra li Greci, contra le ſeguaci del Concilio Calcedonenſi. Di più ha compoſto duoi Litturgie con il Commento del rito del S. ſacrificio dell' Altare : & il ſuo ſtilo é aſſai chiaro. Et *hæc ſatis.* Pero quando V. S. li capitaſſe il detto Commento ſopra l'Evangelii o altri ſimili, farà il favore di mendarci una copia. Trà tanto ci offeriamo alli ſuoi cenni, con pregarli dal Signore il colmo d'ogni bene, reſtando per ſempre

Di V. P. molto illuſtre e

Di Canobino $\frac{1}{18}$ di Marco 1681.

molto reverenda affettuoſiſſimo

Stefano Pietro Patriarcha Antiocheno.

Ci havea V. S. antecedentemente ſcritto di un Zacharia Maronita Prete di Aleſſandria. Non habbiamo trovata d'eſſo veruna memoria ; peró V. S. farà il favore d'aviſarci, oue haveſſe trova la detta memoria, e di quel tempo fuſſe ſtato.

XXI.

XXI.

Molto Illuſtre e Reverende Signore,

HAbbiamo per mezzo dell' Illuſtriſſimo Signore, Pietro Conſoli di Tripoli, ricevuta la gratiſſima di V. S. molto Illuſtre e Reverenda: e ci ſiamo molto rallegrati del ſuo felice arrivo alla Patria, e della ſua molto bramata ſanita: quale noſtro Signore ſi degni conſervare per molti anni, & habbiamo differito la riſpoſta in fin al preſente, non per altro, ſenon per cercare li libri, de' quali deſiderarebbe la coppia: ma non eſſendo poſſibile d' haverli nelle mani, doppo d' haver fatto ogni diligenza, c' haverà per ſcuſati. In quanto à Dioniſio Bar Salibi, ſua dignita, tempo in cui fiorì, e libri da eſſo compoſti: douerà ſapere, che queſto Dioniſio è di profeſſione Giacobita, nativo di Militini di queſta noſtra Siria, e fiorì nel duodecimo ſecolo dell' Incarnatione: nel qual tempo con l'occaſione del governo de Latini, quelli della Meſopotamia e luoghi circonvicini s'applicarono, non ſolamente all'arti civili, ma ancò alle ſcienze, d'onde hebbero diverſe Perſone famoſe nelle lettere, come Gregorio Barhebreo, Michele Barſuſan, Abdocos, & altri, & fra queſti il ſudetto Dioniſio: il quale ſi chiamava Giacomo; & al tempo del lor Patriarca Atanaſio Bar-Catrah fù ordinato Veſcovo di Gramnichi o Gramnitia, hoggidi volgarmente detta Maraſſo; e di Corzaman; e di caſtello Romano; di Mabug; e

di Talbeſſaro ; ne quali luoghi però per breve tempo hebbe la reſidenza : poiche ritornò alla ſua Città Militinenſe, dove come privata perſona s'occupava ne' ſtudii e compoſitioni de libri : & il nono anno eſſendo, con la morte del detto Patriarca Atanaſio, promoſſo alla ſedia Patriarcale de Giacobiti Michele Bar Suſan, fù anco il ſudetto Giacomo Bar Salibi fatto Arciveſcovo d' Amed, hoggidi chiamata Diarbach, e per tal promotione alla detta ſedia fu cognominato Dioniſio ; & in eſſa riſiede fin alla morte, quale ſucceſſe l'anno 1480 d'Aleſandro il Grande, e corriſponde all' anno 1171. del noſtro Signore. L'opere da lui compoſte, per quanto habbiamo potuto trovare, ſon un Commento dell' Antico e Nuovo Teſtamento ; di piu molti libri e diverſe interpretationi ; come anco copioſe lettere : e quel che ſon giunti alle noſtre mani ſon queſti ; due Liturgie, con il commento della Liturgia di San Giacomo, fratello del Signore, quale inviò in Jeruſalemme in riſpoſta alle domande de Latini : diverſi Trattati del Sacerdotio, e de Miſterii dell' Incarnatione ; e diverſe e longhe Apologie contra i Mahometani, contra i Giudei, contra li Neſtoriani, contra l'Armeni, contra li Greci, e contra il Concilio Calcedoneſe : e tutti in lingua Sira, con ſtile trito & intelligibile ; non havendo altro di male, che l'errore dell' unica natura, nel quale nacque e s'allevò. E queſta informatione ſarà grata e ſufficiente all intento del Signor, ch' ha in animo di mandar alla luce il Commento del detto Dioniſio ſopra l'Evangelii. In quanto alla voce

Taioie,

Taioie, memorata nel detto Commento di Dionisio, dinota li seguace di Mahometto, poiche Tai fu uno de piu segnalate persone, ch' hebbero l' Arabi, e li suoi seguaci son li piu humani e liberali trà li Arabi ; e li nostri Christiani si servono di questa voce, per non esser incolpati dalli Mahomettani ne' loro discorsi di troppa temerità, essendo che essi sono li Governatori. In fine c'offiriamo al desiderio della vostra persona dottissima & honorabilissima, & ogni volta che ci capiteranno nelle mani l'Epistole di S. Ignatio Antiocheno, o il libro di scientie, non mancaremo di mandargleli con ogni pontualità, e pregandoli dal cielo ogni bene, restiamo

Dal Sciut il primo d' Aprile 1684.

Di V. S. molto illustre e reverenda

Affettuosissimo di cuore,

Stefano Pietro Patriarcha Antiocheno.

INDEX

PRÆCIPUARUM RERUM,

QUÆ

In hiſce EPISTOLIS continentur.

Abulphedæ Geographia. pag. 59
Ægypti tres dialecti. 72
Alexandria. 71
Armenus quidam martyrio coronatus. 32, 33

Balſamum ex frutice Judaico diſtillans. 63
Bar Bahluli Lexicon. 4, 24, 105, 109.
Bethleemitica Synodus. 14, 16, 35.
Bukeir urbecula. 71

Cairus ſive Kahira. 62, 63
Cameræ Sacerdotum juxta Pyramidas. 64
Concilia tria prima a Coptitis agnita. 72

Damiata. 71
Dionyſius Syrus. 9, 11, 111, 113, 114

S. Ephremi Opera 2, 6, 7, 8, 10, 11, 23, 104, 109

Floren-

INDEX.

Florentini Concilii exemplar. 13

Grotii liber de veritate religionis Chriſtianæ Arabice verſus. 3

S. Ignatii Epiſtolæ. 8, 12, 15, 16, 20, 111
S. Joannis Baptiſtæ Chriſtiani. 38, 43, 44

Macarii deſertum. 68, 69
Maronitarum virtus militaris. 100, 101
Maturea pagus. 63
Maurolycus Abbas. 96
Monaſteria Coptorum. 68, 69

Nectarii liber contra Richardum Jeſuitam. 14
Nilus. 62
Ad Nilum pagi. 67, 72
Nitrum. 68

Onaini ibn Iſaac liber medicinalis. 4, 106

Ptha, nomen Dei, quomodo pronuntiant Copti. 72
Pyramides. 64, 65

Roſetta. 70

Sabii. 39, 43, 83
Sabiorum libri. 40, 43, 84, 85
Samaritani. 47
—— *illorum libri.* 48, 49
—— *quomodo pronuntiant nomen tetragrammaton.* 51

——*opi-*

—— *opiniones de Chriſto.* 51
—— *computus.* 52, 53, 54, 90
—— *odium in Judæos.* 50
—— *Sabbati ſuperſtitioſa veneratio.* 54
—— *Exemplar legis falſo Abiſhæ adſcriptum.* 40, 56.
Sphyngis ſtatua Cairi. 64
Syriæ vetus & præſens ſtatus. 99, 100
Syrorum Chriſtianorum libri. 101
—— *Lingua.* 103
—— *Scripturarum S. verſiones.* 105

Tamerlanis Hiſtoria Arabice. 95

Cum Epiſtolæ præcedentes ſub prelo eſſent, Arabica ob defectum typorum ex neceſſitate omittebantur : quorum pleraque ſuis in locis ita interſeri debent, ex typis poſt ſchedas impreſſas de novo cuſis.

Pag. 37. l. 13. ثافيلوس ابن ثوما وترجم كتاب لاميروس للي السرياني

Pag. 40. l. 20. كتاب مذاهب الخلدانيين لابن وانشيه

وكتاب موانع النجوم في طلسمات من لهل بابل له ايضا

كتاب ابي الفتح في طقوس الخلدانيين وديان الهند

كتاب محمد بن اسحاق في ولاة ومرلة الصابية

كتاب ثابت بن قرة بالسرياني علي دين الصابية

Pag. 56. l. 28. الو الفتح ابن ابي الحسن السامري الدنسيف

Ibid.

Ibid. l. 29. في سنة ثلثة عسر من مملكة اسرايل لرض كنعان كتب ابيشع بن فينحس هذا الكتاب الشريف الموجون الان في نابلس المحروسة في حفظ سيدنا الامام الكبير

Pag. 69. l. 11. على اسم القديس العظيم ابينا مقاريوس اب للبطاركة والساقفة والرهبان

Pag. 73. l. 13. واذن تعلم ان اللغة القبطية مقسومة على ثلاثة اقلام

Ibid. l. 14. القبطي المصري للذي هو الصعيدي

Ibid. l. 18. القبطي البحري المعروف بالبحيرة

Ibid. l. 23. in ufu. بدلان البشمور

Page 81. l. 14. طورا العابدين

ERRATA.

IN vita p. xxviii. l. pen. poſt meruerit, adde, nacti. In epiſt. p. 26. l. 12. acumin. p. 48. l. 27. pergamena. p. 99. omittitur titulus, Stephanus Petrus Patriarcha Antiochenus D. R. Huntingtono. p. 100. l. 1. Moſlimani. p 108. l. 19. & p. 110. 15. pro illuſtriſſima, lege, molto illuſtre. Reliquas hallucinationes in cenſum referre piget.

VITA

Clariſſimi & doctiſſimi Viri,

EDWARDI BERNARDI,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET

ASTRONOMIÆ apud OXONIENSES

PROFESSORIS *SAVILIANI.*

Scriptore THOMA SMITHO,

S. THEOLOGIÆ DOCTORE,

ET

ECCLESIÆ ANGLICANÆ PRESBYTERO.

SUBNECTITUR

Veterum Mathematicorum, Græcorum, Latinorum, & Arabum, Synopſis.

Collectore D. E. BERNARDO.

LONDINI:

Typis *W. B.* Impenſis A. & J. CHURCHILL, ad Inſigne Nigri Cygni in Vico vulgò vocato Paternoſter-Row. M. DCC. IV.



VITA

Clariſſimi & doctiſſimi Viri,

EDWARDI BERNARDI,

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS,

ET

ASTRONOMIÆ apud OXONIENSES

PROFESSORIS *SAVILIANI.*

EDWARDUS BERNARDUS auſpicatiſſimè in lucem editus erat Pauleſperriæ, tribus a celebri oppido Touceſtriâ, Tripontio Romanorum, in agro Northamptonienſi, milliaribus diſſitæ, ſecundo die Maii, anno Dominicæ Incarnationis CIↃIↃCXXXVIII. patre Joſepho Bernardo, qui in iſto viculo, ut puto, ſacrum Parochi munus obibat, & matre Eliſabethâ Lanceâ, utriſque non ignobili genere oriundis. Pater poſtea ſe familiamque ſuam Northamptonam, urbeculam, a quâ provincia nomen ſortitur, tranſtulit: ibique noſter, paucorum annorum puer, prima literarum rudimenta edoctus, certam lætamque

opimæ frugis maturioribus annis, ex iſtis ſeminibus bonæ indolis ac ingenii tunc feliciter emicantibus colligendæ, ſpem oſtendebat. Cum vero vix ſextum ætatis annum attigiſſet, pater violentia morbi, qui illum corripuit, ſubito ereptus eſt: quod grave & pene fatale damnum, ex immaturâ mariti morte illatum, pia ſagaxque fœmina, ſi non ex integro, ſaltem aliquâ ex parte, duplicatâ nimirum curâ, quam naturalis iſte, quo erga filiolum ferebatur, affectus acerrimè urſit auxitque, reparare magno conatu aggreſſa eſt. Illa enim conſiliis cum Amicis ſubinde communicatis, Londinum ſub Magiſtrorum, qui ſummâ juventutis optimâ methodo ac curâ inſtituendæ laude inclaruerint, diſciplinâ illum eruditendum, penè invita, jam ab ipſius conſpectu & amplexibus abſtrahenda, illius profectui in bonis litteris conſulens, miſit. Exceptus ergo in ædibus avunculi ſui, civis bonæ notæ, in Scholâ publicâ Mercatorum Sciſſorum ita nuncupata, eò quòd illius patroçinium ex inſtitutione Fundatoris iſta Societas ſuſceperit, decennis anno CIↃIↃCXLVIII. admittebatur. Schola autem iſta, pariter ac Paulina, fœcundum virtutis & doctrinæ ſeminarium, inter præcipua iſtius metropoleos decora merito debet recenſeri; & maximè cedit in commodum illorum, qui domos in meditullio Urbis ſitas incolunt, quos cura ingenuæ liberorum educationis tangit, donec annis lubricæ ætatis, unde de futuræ vitæ moribus & fortuna non male quidem auſpicandum erit, innocentèr &, ſtudioſè exactis, jam adoleſcente ætate ſubducti ferula, novum vitæ inſti-

tutum

tutum, cui ex indole & genio naturæ apti & compoſiti videntur, pro varia conditione ſubeant, aut ad Academiam (quotquot nempe ex inſita mentis propenſione, aut ex deſtinatione parentum, ſeſe totos per integram vitam ſtudiis literarum ſunt daturi) altioribus ſeverioribuſque diſciplinis imbuendi amandentur. Hoc autem peculiare eſt iſtius Scholæ privilegium, ut tres aut quatuor adoleſcentes, prout res tulerint, in Alumnos Collegii S. Joannis Baptiſtæ Oxonii, quod his potiſſimum recipiendis, ſuaque munificentia fovendis, quo per omne ævum de civitate Londinenſi, cujus erat Prætor, h. e. ſummæ dignitatis Magiſtratus, de republica, de eccleſia mereretur, regnante R. Maria, fundavit vir ampliſſimus, D. Thomas Whitus, ſingulis annis eligantur. Iſthoc tempore ſcholam rexit Gulielmus Dugardus, Vir iſtâ arte nulli poſtponendus, quod ex ingenti Virorum præclariſſimorum numero, quorum animos præceptis ſuis, aſſiduâ diligentiâ, ac ſapienti inſtitutione, ad virtutem, pietatem, omnigenamque doctrinam formavit, compertiſſimum eſt: & ſub illo tres Promagiſtri, ſinguli ſuarum claſſium Præfecti. Has omnes non niſi ſeptennio emenſus eſt noſter Bernardus, utpote in ſuprema per duos treſve annos moratus, quò felicem iſtam, quam flagrantiſſimis votis ambiiſſet, ſortem, facilius & certius abſque omni repulſæ metu nanciſceretur. Nec exſpectatione ſua excidit optimus adoleſcens, aſſecutus id, quod meritis debebatur. Nam ſolenni electionis die, qui menſe Junio ineunte circa ſolſtitium æſtivum recurrit, anno CIↃIↃCLV. a Præ-

ſide illius Collegii, prævio examine habito, pro more aſſiſtentibus Scholæ Patronis & Curatoribus, ſuffragiis collectis, maxime dignus viſus eſt, qui in numerum Joannenſium cooptaretur. Hinc celeri greſſu & eadem animi exultatione, quâ alii opima prædia in hæreditatem relicta adituri ſunt, properat Oxonium, & poſt unam aut alteram ſeptimanam in cenſu *Scholarium*, uti loquuntur, Collegii ſupradicti, rite & juxta formam ſtatutorum, relatus eſt, poſt tres annos, ut illic uſu venit, in verum & perpetuum Socium adſciſcendus.

Percommodum accidit ex iſtâ longâ, quam in Scholâ traxerat, morâ, quod nemo ab artibus, quibus ætas juvenilis informari debet, paratior aut inſtructior ad Academiam acceſſerit. Linguarum enim Græcæ & Latinæ elegantias, & idiotiſmos callebat: in Claſſicis Authoribus verſatiſſimus, nec erat Ebraicè ineruditus. Stylum pro modulo ætatis accuratum ſatis, frequenti uſu & exercitatione, dum Latinè ſcriberet, ſibi formavit, carmenque concinnum benè norat pangere: (etiam ad extremam uſque ætatem epigrammatibus indulgens, lepore, ſalibus, imo & interdum aculeis pungentibus, refertis) licet poeſeos veneres blanditiaſque, quibus juvenum animi irretiuntur, toga & pileo indutus, mox repudiaverit; utilioribus Hiſtoriæ, & Philologiæ, & ſeverioribus Philoſophiæ ſtudiis quam maximè intentus. Gnarus verò, deſidiam eſſe vel optimorum ingeniorum peſtem, doteſque animi, quas aut natura inſevit, aut felix diſciplinæ cultura excitavit, luxu flacceſcere & corrumpi ſolere,

lere, hanc industriâ, illum vel licitarum volûptatum, quibus novus menti, vigiliis, assiduâ lectione, longâ, eaque, intentâ, meditatione defatigatæ, infunditur vigor, absorptæque vires moderatâ relaxatione de novo redeunt, rariori usu expugnare, quasi solenni sacramento obstrictus, Deo duce, & opitulante divina gratia, serio admodum in se suscepit: quod honestum & plane heroicum sobriæ & laboriosæ vitæ propositum ad mortem usque integrum & illibatum servavit.

Qualis vero esset Academiæ Oxoniensis status illo tempore, raptim & ὡς ἐν παρέργῳ, hic memorare oportet; neque enim pluribus opus erit; cum id ne Hospites quidem, vel rerum nostrarum paulo curiosi, nescire possint.

Doluerunt omnes boni, quibus salus & existimatio Academiæ cordi & curæ fuerint, Collegiorum Præfectos & Socios pleroſque omnes, eò quod fidem serenissimo Regi, Carolo primo, datam ejurare noluerint, a Visitatoribus Parlamentariis vi armata ejectos, iisque, contra omne jus & fas, aut Presbyteranæ factionis Ministros, aut sectæ Independentium fautores & antesignanos suffectos; non enim aliter ecclesiam Anglicanam pessundandam esse, nisi purgatis Academiis, benè nôrant nasituli isti homunciones: sacrum patrimonium, olim Deo & Ecclesiæ sub diro anathemate consecratum, sacrilegis dudum in prædam cessisse: Ordinem Episcopalem sub impio *pietatis Evangelicæ & novæ reformationis* prætextu, quantum Schismaticorum furor efficere potuit, extinctum: novam Theologiam, re-

lictâ veteri, ex Conciliorum canonibus Patrumque ſcriptis hauſtâ, è compendiis & ſyſtematibus introductam : hæreſes ubique apud plebem, iſtiuſmodi verſutiis maximè obnoxiam, pullulâſſe, aliaſque inſulſas opiniones, veritati Chriſtianæ & veteris Eccleſiæ fidei adverſantes, palam propugnari : multos denique in utriſque Academiis hac peſte afflatos, quaſi ecſtaſin paſſos, & religioſâ inſaniâ flagrantes, de ſe magnifice ſentire, tanquam cœleſti gratia donatis, cæteros omnes, tanquam profanos, & ab illorum in ſacris conſortio arcendos, averſari : hinc ſuos conventus ſeorſim agere, Euchariſtiæ ſacramento per plures annos tam in templo B. Mariæ, quam in quorundam Collegiorum ſacellis penitus intermiſſo.

Et ſane de religione paritèr ac vera ſolidaque eruditione actum fuiſſet, niſi horum conatibus interceſſiſſent pauci generoſioris indolis & moderatioris ingenii, quibus ſupercilioſum hoc, fanaticum, tetricumque hominum genus maxime diſplicebat, & quorum potiſſimum intererat, tum ut Juvenes, illorum fidei & diſciplinæ commiſſi, ab omni impurorum dogmatum labe intacti, ad ſobrietatem ſaperent, tum ut rejectâ novâ iſtâ fraudulentâque juventutis docendæ ratione, exquiſitam rerum cognitionem in omni ſcientiarum genere acquirendi deſiderio & ſtudio uſque tenerentur. Hac ex parte, inter cæteros pariter felices, felicem prædicabo Bernardum noſtrum, qui *Tutorem*, uti appellamus, virum doctum & ſobriæ mentis, Thomam Wiatum, jam a multis annis S. Theologiæ Profeſſorem,

feſſorem, & Eccleſiæ Cathedralis Sarisberienſis Præbendarium, tunc Collegii illius Socium, auſpicato ſortitus eſt; cujus prudenti conſilio, inſtitutionibus, & præceptis repetitis, ſecundum Deum, ingentium iſtorum, quos poſtea admirandâ induſtriâ fecerit, in ſtudiis progreſſuum initia debet. Tanti eſt bonos ſapienteſque Magiſtros reperire, quibus non parum cedit in gloriam, a Diſcipulis ſuis interdum ſuperari.

Ab hiſce laudatiſſimis auſpiciis nihil, niſi grande & maximè laudandum, exſpectari poterat: neque hanc ſuorum ſpem aut exſpectationem fruſtratus eſt. Hoc enim ſtadium fauſto & recto pede ingreſſus, magnis continentibuſque greſſibus ad metam contendebat, nullo obſtaculo, ſalebris nullis ſiſtendus. Quid autem indefeſſæ induſtriæ, ſi arte, methodo, judicio adjuvetur, poteſt eſſe inauſum, inacceſſum, impervium? Jam ſeſe accinxerat noſter ad ſeriam accuratamque Scriptorum veteris Græciæ & Romæ, quos Critici hujus & ſuperioris ævi, ope codicum manu exaratorum à mendis purgatos, animadverſionibus & commentariis illuſtrarunt, lectionem: Philologiam enim & politioris literaturæ ſtudium deperibat, magnorum Virorum, quorum famam æmulatus eſt, exemplo incitatus. Sed nec anguſtis Latii & Græciæ limitibus ingenium illius erat coercendum. His enim pro tempore relictis, Palæſtinam, Syriam, Arabiam, Ægyptum, mente avidâ & ſolerti, licet muſeo affixus, peragrare libuit: quarum linguas non ſuperficie tenus, aut leviuſcule & primis quaſi labiis delibatas, maximo labore ſibi reddidit familiares.

liares. Poſtea verò ad ſtudium ſcientiarum Mathematicarum potenti genio rapiebatur; quarum amorem magis magiſque creviſſe crediderim, cùm ingentem iſtam librorum Arabicorum ejuſdem argumenti, pulcherrime & accuratâ manu deſcriptorum, tum in Bibliothecæ Bodleianæ, tum ſui Collegii, Archivis, copiam ſibi coram oculis obverſari comperiſſet. Has ut facilius aſſequeretur, in diſciplinam celeberrimi D. Walliſii, qui in ſuis ædibus privatis illum alioſque hiſce myſteriis initiaverit, ſeſe dedit, donec ſuperatis difficultatibus, quæ tyronibus ſolent objici, proprio marte & ingenio, quicquid ad integram Matheſeos cognitionem pertinuiſſet, hoc lumine ſuperfuſo, & ex Walliſiana face accenſa lampade, feliciter inveſtigaverit. Magiſter in artibus Aprilis XVI. anno MDCLXII. pro more Academiæ conſtitutus, magis magiſque inclareſcere cœperat, tum ob ingenium ſublime, acutum, ad maxima quæque aptum, omniumque diſciplinarum capax, tum ob compoſitos placidiſſimoſque mores, quibus ſe in amorem & admirationem familiarium ſuorum inſinuavit.

Anno M. DC. LX. VII. Procurator Academiæ eligebatur. Is autem, ut in gratiam exterorum hoc addam, non parvi honoris dignitatiſque annuus magiſtratus eſt; cujus adipiſcendi ſtudio, dum Viri ingenio, virtute, & politiori literaturâ præſtantes (neque enim diſſimiles & hiſce præclaris dotibus inornati, illo tempore, quo ſuffragii jus in Comitiis, hac de cauſâ calatis, omnibus ſimul competebat, ſeſe numero Candidatorum

didatorum ingerere auſi ſunt) olim incenderentur, in varias partes ſæpenumero, prout in ejuſmodi promiſcuis electionibus uſu venire ſolet, diſceſſum erat. Inde tumultus indecores enati, acerrimæ contentiones, mutuæ exacerbationes, odia, aliaque mala, quibus publicæ ſacri iſtius ſeceſſus, muſis ſtudiorumque quieti, procul omni ſtrepitu, deſtinati, pax periclitaretur. Ad omnes verò haſce prenſationes, tot incommodis gravidas, tollendas, liteſque componendas, ſereniſſimus Rex, Carolus primus, beatæ memoriæ, pro ſapientiâ ſuâ, & mirificâ erga Academicos bonitate, conſilium & methodum ſuggerente reverendiſſimo Viro, D. Gulielmo Laudo, tunc temporis Epiſcopo Londinenſi, qui apud illum ſummâ pollebat gratiâ, Cyclum ex viginti trium annorum periodo conſtantem, in quo dignitas illa, quam bini pari poteſtate prædíti unoquoque anno aſſequuntur, omnibus Collegiis, habita Studioſorum, qui in illis aluntur, ratione & numero, ſtatis temporibus, aut rarius aut frequentius aſſignatur, A. C. CIↃIↃCXXIX. fieri ordinavit, in omne ævum duraturum. Hoc vero tempore, facultas nominandi unum è Procuratoribus, juxta iſtius tabulæ, Regiâ authoritate ſanciræ, & ſtatutorum inde pendentium normam, penes Collegii Joannenſis Præfectum & Magiſtros erat, qui junctis ſuffragiis Bernardum noſtrum ad munus iſtud egregium promoverunt: quo ſummâ cum fidei & diligentiæ laude functus eſt.

Non multo longe poſt depoſita Procuratoriæ dignitatis inſignia, viz. 9. Junii M.DC.LX.VIII. Bacca-

Baccalaureatum in ſacrâ Theologicâ capeſſivit: quo gradu & titulo, cum ſtatutis & voluntati Fundatoris ſui morem geſſiſſet, diu contentus vixit, eâque fuit modeſtia, pene inexpugnabili, ut, non niſi poſt multos annos, ad ſummos honores in iſta facultate conſequendos aſpirare vellet.

Vergente ad finem anno mediâ hyeme, viz. menſe Decembri, ſpretis ſuſque deque habitis forti animo difficilis admodum ac periculoſæ navigationis moleſtiis, ſtudiorum cauſa, Lugdunum Batavorum ſe contulit, tum ut ingentem MSS. codicum Orientalium, quos Virorum ſummorum, Joſephi Scaligeri & Levini Warneri, pietas ultimis tabellis legaverat, copiam coram inſpiceret, ſedulaque manu tractaret, tum etiam, & præcipue quidem, ut † V. VI. VII. libros *Conicarum ſectionum* Apollonii Pergæi, quorum textus Græcus planè deperditus eſt, in codice Arabico apud hæredes Viri præſtantiſſimi, Jacobi Golii, qui illum cum multis aliis quantivis pretii in Oriente, omnium ferè linguarum Aſiaticarum, omniumque argumentorum diligenti inveſtigatione & maximis ſumptibus acquiſiverat, exſtantes examinaret. Ille ab iiſdem perquam benevole exceptus erat, qui pro certo edocti ex ingenuâ D. Bernardi confeſſione, hunc eſſe præcipuum itineris iſtius ſcopum, codicem illum illius arbitrio omni cum animi facilitate & promptitudine permiſêre; treſque illos libros

† Septem hi libri in linguam Arabicam converſi erant tempore Al Mamonis. Ita Gregorius Abulpharagius in Hiſtoria Dynaſtiarum, pag. 63.

deſide-

deſideratos, una cum figurarum delineationibus, accuratiſſime exſcripſit: hoc conſilio, ut cum verſione ſuâ Latinâ & commentationibus neceſſariis, tam ad reparandum grave iſtud, quod Græcis literis aut temporum edacitas aut barbaries intuliſſet, damnum, quam ad emendandos, ſi qui ex feſtinatione aut ignorantiâ Arabis Interpretis admiſſi fuerint, errores, Oxonii adverſis paginis ederentur. Sed multa, quo minus effectum daret, quod magno animo concepiſſet, interceſſêre. An hoc D. Chriſtiano Ravio ſuboluerit necne, planè incertum eſt. Ille vero palmam hanc, ſive æmulatione abreptus, ſive laudabili ſupplementum hoc primo edendi deſiderio incitatus, aliis prærepturus, tres iſtos libros, a ſe Latinè verſos, & Carolo XI. Sueco-rum Regi inſcriptos, Kiloni A. C. M.DC.LX.IX. publicavit. Omninò enim ignorâſſe videtur, eoſdem libros ab Abrahamo Ecchellenſi Latine verſos, & elucidationibus ſuis illuſtratos, Virum doctiſſimum, Alphonſum Borellum, Florentiæ A. M. DC. LX. I. curâſſe edendos: de quibus in Angliam advectis hoc judicium rectiſſime tulit † Vir ſubtiliſſimi ingenii, & in ſpeculationibus Geometricis oculatiſſimus, D. Iſaacus Barrow, Matheſeos Profeſſor Cantabrigienſis, *Arabas miram in diſponendis Apollonianis demonſtrationibus licentiam ſibi arrogaſſe, utpote quibus cum methodo, qua in prioribus libris Græce exſtantibus utendum cenſuerat magnus ille Geometra, nulla ſimilitudo & cognatio intercedit.* Cum vero am-

† In literis in Muſeo meo repoſitis.

bæ

bæ verſiones in manibus omnium Mathematicorum verſarentur, de textu Arabico, quem pauci aut intelligerent aut curarent, edendo non amplius erat cogitatum. Sed cum Ravius & Echellenſis, licèt Arabicè doctiſſimi, Matheſeos omnino rudes eſſent, dolendum eſt, D. Golium, qui id optime potuit, id opus prelo parantem, mortem quaſi in iſto articulo occupâſſe, aut D. Bernardum, utraque quoque facultate præcellentem, omnibuſque ſubſidiis inſtructum, ab amicis, licet idem olim urgentibus, deſtitutum fuiſſe. Non enim dubitandum videtur, quin Apollonius, ſive ab hoc, ſive ab illo verſus edituſque, longè ornatior, melior, & Mathematicorum genio & uſibus accommodatior prodiiſſet. Sed triſte illud fatum hiſce literis incubat, quod ab ignavis delicatuliſque neglectæ jaceant, & plures habeant laudatores, quam fautores & patronos.

Apollonius autem † octo libros *Elementorum Conicorum*, utpote, quorum argumenta & ſummam compendio in præfatione exhibet, compoſuiſſe videtur. Sed ultimus iſte liber in illo codice Goliano aut Raviano non exſtabat. Si verò in aliis, quod aſſeruit Merſennus, reperiendus ſit, ille ſanè ex iſtis latebris, ubi ubi in orbe Chriſtiano, in lucem publicam erui, modò foret genuinus ingenii Apolloniani fœtus, ſpondentibus Viris doctiſſimis, benè merebitur. Ipſi autem, quorum maxime intereſt, viderint.

† Quod quoque obſervavit ſupra citatus Gregorius—*Monſtrat vero proœmium octo eſſe debere.* Ibid.

Re-

Reverſus Oxonium ex itinere Hollandico, eo jucundiori habito, quod cum clariſſimis Profeſſoribus Academiæ Lugduno-Batavæ, aliiſque celebrioris famæ, & ſupra vulgus longè evectis, amicitiam contraxiſſet, candidos gentis Batavicæ mores non ſine ſumma voluptate expertus, ac inde hac quali quali ſtudiorum intermiſſione, novo vigore animatus, forulos intimoſque Bibliothecæ Bodleianæ receſſus diligentiore indagine excutere & explorare, codiceſque MSS. rarioris notæ, & magni in re literariâ illuſtrandâ uſus, penetrantiori oculo collatos, examinare quaſi de novo inſtituit, tum in ſui ipſius, tum in Amicorum gratiam: quorum precibus ſe perfacilem & perbenignum præbuit, nulla fere aut temporis impenſi aut laboris habitâ ratione, ut illorum ſtudiis opitularetur. Hoc autem mihi maximè conſtat, aliquos è noſtratibus, ipſius operâ adjutos, inſignem ex editionibus veterum Authorum, ſi quæ ſint integræ & emendatæ, ſibi laudem comparaviſſe, in cujus magnam partem ille erat jure admittendus. Ab hoc enim tempore unanima hæc de ipſius ingenio, & judicio, ex uſu, mentis attentione, quotidianiſque ſtudiis aucto & conſummatiore reddito, inſederat omnium animis opinio, ut vix quiſpiam hujus literaturæ è tenebris erutus liber prius novâ luce hîc apud nos donaretur, quam ipſius conſilium ſententiamque rogâſſent, opemque, ex bibliothecâ Bodleianâ ſuppeditandam, quam pro egregiâ indolis ſuæ bonitate, per totius vitæ futuræ curriculum, nemini denegare aut poterat aut volebat, aut ore tenus aut literis implorâſſent.

De

Verum de commercio literario, quod cum vicinarum gentium Viris, dignitate, ingenio, & eruditione longe præſtantiſſimis, per multos annos habuit, frequenterque pro re natâ exercuit, poſthac opportunior erit differendi locus.

Circa annum M. DC. LX. IX. cum inſigniſſimus vir D. Chriſtophorus Wrennus, tum temporis Aſtronomiæ Profeſſor Savilianus, ſereniſſimo Regi Carolo II. ob præſtantiam ingenii, admirandamque in excogitandis hypotheſibus novis mechaniciſque inſtrumentis, ad explicandos cœleſtes motus, aliaque naturæ phænomena, ſumma arte elaboratis, ſollertiam commendatus, generalis Regiorum ædificiorum Superviſor fuiſſet conſtitutus, jam nova negotiorum mole in Urbe principe detinendus, a Vice-Cancellario, donec res ipſius in Aula Regiâ firmarentur, *Deputatum*, qui illius abſentis in iſto munere Mathematico obeundo vices ſuppleret, nominandi facultatem impetravit: ille vero D. Bernardum, quo neminem aut digniorem, magiſve idoneum, aut Academiæ acceptiorem noviſſet, hac gratia facile quidem & citra moram dignatus eſt. Hinc novus ſideralis ſcientiæ ipſius intimis medullis infigebatur amor; hinc illius excolendæ accreſcebat ardentior cupido, & intenſius ſtudium, quo magis tum famæ jam de ipſo ſparſæ, tum Academiæ honori, publicis Prælectionibus ex officio & pro dignitate reſponderet. Quibus lætis auguriis ducti, Amici juſtas in ſe aluere ſpes, quod cathedram iſtam Mathematicam, cedente D. Wrenno, ille jure ſuo pariter ac meritis tandem eſſet poſſeſſurus. Interim

terim tamen ſe ſolenni profeſſione & voto Theologiæ ſtudiis, ſacriſque Presbyteri functionibus, conſecratum fuiſſe non dememineſſet.

Vacante autem, ſi vocibus juris noſtri municipalis uti licet, A.C. M. DC. LXX. II. per mortem Presbyteri, animarum curæ iſthic incumbentis, Beneficio Eccleſiaſtico, in Provinciâ Surreienſi ſito, annui reditus ſatis boni, cujus Patronatus ad Collegium Joannenſe pleno jure pertinebat, a Præſide Collegiſque ſuis eodem donatus eſt, quod & gratanter accepit. Mox exeunte anno, h.e. proximo Februario, ut nos pro more computamus, D. Petro Mew, ejuſdem Collegii Præfecto, ad Epiſcopatum Bathonienſem & Wellenſem evecto, ab ipſo quoque, cui illius pietas, probitas, caſtigatiſſimi mores, reliquæque eximiæ mentis dotes erant pridem cognitiſſimæ, in alterum è Sacellanis domeſticis D. Bernardus cooptatur, inde opimum aut Sacerdotium aut Canonicatum in iſtâ diœceſi aut eccleſiâ Cathedrali, ſi quando vacaverit, adepturus. Nec ſanè aut certior, aut facilior, aut honeſtior dignitates minores Eccleſiaſticas procurandi methodus hic apud nos habetur, quam favore & patrocinio Epiſcoporum.

Ita omnia ex voto ſucceſſêre. Sed pro humanæ mentis inconſtantiâ, incertiſque rerum, quæ ſæpe ſtant in præcipiti, & parvulis inclinatæ momentis nutant, vicibus, ab hoc placidiſſimo animi ſtatu mox dejectus eſt. Omnia enim hæc erant relinquenda, aut ſpes muneris iſtius Mathematici, ad quod tantopere anhelabat,

D. Wrenno jamjam cessuro, planè abdicanda. Neque enim per statuta Fundatoris, qui suis Professoribus omnem dignitatem, munusque, sive Ecclesiasticum, sive Civile, sive Academicum, ut toti Scientiis Mathematicis sedulitate majori illustrandis provehendisque vacarent, nullis aliis curis negotiisve distracti, penitus interdixit, simul utrisque ultra sex menses frui liceat. His quasi angustiis constrictus, animi planè dubius, mihi pro arctissimâ illa, quam ab ineunte juventute nostrâ contraxeramus, amicitiâ, rem adhuc integram proposuit, ut quid melius cum justâ sapientiæ laude esset faciendum, librati is alterutrinque rerum & circumstantiarum momentis, consuleretur. Mihi verò non longâ consultatione opus esse videbatur in re adeo manifesta: dixi igitur, molestam illam de Professione Mathematicâ nanciscendâ cogitationem statim abjici debere: certam futuræ dignitatis Ecclesiasticæ & rei familiaris augendæ, si de matrimonio contrahendo cogitaverit, spem instare: se moderatis opibus auctum, sorori, consobrinis suis, aliisque opis suæ indigis, inde melius prospecturum: publicas Professiones, unam aut alteram, absque duris ejusmodi conditionibus, proximis vacationibus, posthac posse obtineri: hinc quoque sacerdotalis officii partes implendi felicem oportunitatem oblatum iri, sacrarumque literarum studium & genio & instituto vitæ longè fore convenientius. Replicavit, hoc Professorium munus magno honori sibi futurum: pensionem ex prædiis, quæ Professoribus fovendis munificus Fundator concesserat, excrescentem,

ſcentem, ſibi, ſaltem vitam cœlibem acturo, abunde ſufficere: ſe in Academiâ cum dignitate otio potiturum: negotioſam vitam ſatidio eſſe: in hac quietiſſimâ muſarum ſede, procul omni tumultu incommodiſve, quæ dignitates Eccleſiaſticæ ſecum trahunt, potius hic conſeneſcendum eſſe: certiuſque è literis vitæ ſolatium, quam alibunde in urbibus auliſve Principum & Epiſcoporum, petendum. Diſceſſit, argumentis in hac amicâ collocatione ultro citroque omni cum ingenuâ libertate agitatis diſcuſſiſque, nondum aut his aut illis victus. Poſt biduum, ni male memini, apud ſe firmiſſimè ſtatuebat, omnia Cathedræ Aſtronomicæ dignitati poſtponere. Id ſerio volentiquidem, nec omninò invitus, cùm ſibi ipſe placuiſſet: quem poſtea neglecti conſilii ſero pœnituit. Commendatus ergo illuſtriſſimis Viris, quos D. Savilius ſuorum ſtatutorum Patronos & Protectores conſtituerat, quibuſque ſolis iſtam Profeſſores eligendi facultatem competere voluerat, eorundem ſuffragia, & facillime quidem, cum nemo æmulus interceſſerit, adeptus eſt. Quò verò hæc ab Exteris, quorum præcipue in gratiam breviculum hunc de vitâ D. Bernardi commentariolum Latinè ſcribo, melius intelligantur, non abs re fortaſsè alienum erit quædam de iſtis Prælectionibus Savilianis hic immiſcere: a quibus ſaltem, uti quoque a noſtratibus, ſi æquum & rectum colant amentque, digreſſio hæc, uti ſpero, facilè condonabitur.

Vir maximus & omnium ſeculorum memoria digniſſimus, D. Henricus Savilius, a Jacobo,

primo Britanniarum Monarchâ, equeſtri dignitate ornatus, pro ſuo erga Patriam, erga Academiam Oxonienſem, & erga bonas literas affectu & amore, duas † *Lecturas*, ut appellamus, *Mathematicas*, alteram Geometriæ, Aſtronomiæ alteram, iſtis ſcientiis promovendis propagandiſque per Angliam, imò & per univerſum orbem, deſtinatas, reditu ſatis lauto licet jam infra priorem cenſum & æſtimationem ſubſidente, animo planè regio, pro ſapientiâ ſua fundavit, ut cum cæteræ artes & diſciplinæ ſuos pridem reperiſſent Benefactores, hæ humano intellectui perficiendo maxime habiles, uſibuſque vitæ utiliſſimæ, debito patrocinio non deſtituerentur. Quantum verò ab iſthoc tempore de hiſce literis doctiſſimi Profeſſores Saviliani, aliique Angli, ex hac prænobili inſtitutione ad ſeveriorem exploratioremque illarum culturam laudatiſſimâ æmulatione accenſi, meriti fuerint, eruditus orbis dudum agnovit, & ipſa fatebitur invidia, utut parciſſima benè merentium laudatrix. Ut vero idonei homines & hiſce præclaris muneribus pares in omne ævum ſibi ſuccedant neque quiſpiam ignavis aut ineptis factione, pecuniis, maliſque artibus haſce cathedras occupandi, inque illas irrumpendi, prætextus relinquatur, id, quantum humana ſagacitate præcaveri poſſit, ſibi maxime præcavendum è ſuâ plurimum intereſſe duxit. Satis enim compertum habuerat,

† *Fundatio duarum Lecturarum in diſciplinis Mathematicis per H. Savilium, Collegii Mertonenſis Cuſtodem, publicata & confirmata in venerabili Domo Convocationis A. D.* M.DC.XIX. Auguſti XI. Vide Appendicem ad corpus Statutorum Academiæ Oxonienſis.

in

in omnibus fere publicis Comitiis partium ſtudium ſæpe valuiſſe, contra quam jus poſtulaverit: judicium affectibus corrumpi, & ſententias non ponderari, ſed numerari: (nec fortean melius aut ſentire aut ominari aut potuit, aut voluit, de quibuſdam promiſcuis Academicorum electionibus, in quibus juvenes & cerebroſi & incauti interdum dominantur.) Ideo de Electoribus, in quos nullæ ejuſmodi ſuſpiciones cadere poſſunt, conſtituendis maxime erat ſolicitus. Ii autem erant illuſtriſſimi Viri, qui in muneribus publicis præcipuæ dignitatis aut in Eccleſia aut in Republica, pro tempore conſtituti fuerint, quos licet hiſce ſcientiis probè inſtructos fore nullatenus exiſtimaverit, tamen hoc ſibi habuit perſuaſiſſimum, ea cautione uſuros, ut neminem, niſi muneri, quod ambit, omnino parem, a Viris, illarum callentiſſimis & omni partialitate ac malo affectu vacuis, commendatum laudatumque, præficiendum curarint. Quod hactenus optimâ cum fide & ſummo ſuo honore, pariter ac D. Savilii, fecerunt, & in perpetuum, ut ominari fas eſt, facturi ſunt. Sed præſtat nobiliſſimum Fundatorem hac de re in ſuis ſtatutis loquentem audire: quorum ſectiones V. & VI. nimirum de Electoribus & Eligendis, ut illius ſapientia, munificentia, immortaliſque cura de ſubſtituendis in locum defunctorum aut cedentium aliis, qui eandem provinciam ornarent, ſive ſint indigenæ, ſive quocunque ſub axe nati, clarius eluceſcerent, ex inedito corpore ſtatutorum Savilianorum hic apponam.

§ V. *Qui & quales eligi debent in Mathematicos Profeſſores.*

Hos Profeſſores ſive Lectores ordino, ſtatuo, & decerno fore perpetuis temporibus eligendos ex hominibus bonæ famæ, & converſationis honeſtæ, ex quacunque Natione orbis Chriſtiani, & cujuſcunque ordinis ſive profeſſionis: qui hauſta prius ex Ariſtotelis & Platonis fontibus puriore Philoſophia, in Mathematicis inſtructiſſimi ſint, adjuncta mediocri ſaltem Græcæ linguæ cognitione: & ætatis ad minimum annorum viginti & ſex. Et ſi Anglus fuerit, volo, ſit ad minimum in artibus Magiſter, qui ſine ulla diſpenſatione vel temporis vel exercitiorum Scholaſticorum, gradum illum legitime ſuſceperit: quam conditionem in exteris nihil moror.

§ VI. *De Electoribus & Electione: de admiſſione & juramento Electi.*

Horum porro Profeſſorum, reſervata mihi eorum nominatione, durante vita mea naturali, poſt meam mortem, liberam electionem & diſpoſitionem, quoties vacaverint, aut eorum alter quocunque modo vacaverit, committo his novem illuſtriſſimis Viris, qui pro tempore fuerint; Archiepiſcopo Cantuarienſi, Cancellario Angliæ, ſive Cuſtodi magni Sigilli, Cancellario Univerſitatis Oxon. Epiſcopo Londinenſi, Principali Secretario Domini Regis, Capitali Juſtitiario ad placita coram Rege tenenda, Juſtitiario de Banco, Capitali Scaccarii

canii Baroni, & Decano Curiæ de Arcubus, aut majori parti eorum, advocato, si ipsis visum fuerit, in consilium Vice-Cancellario Universitatis Oxon. Quos illustrissimos Dominos Electores spero perpetuos fore Patronos & speciales Protectores statutorum, jurium, & possessionum ad dictas Professiones pertinentium.

Ad Vice-Cancellarii autem munus pertinebit, vacante quacunque de causa Professoris alicujus loco, quam cito fieri commode poterit, Dominis Electoribus de vacatione significare, iisdemque in scriptis tradere tenorem hujus statuti & præcedentis. Qui vel immediate ad electionem novi Professoris, juxta conditiones & qualitates prænotatas, procedant, si de idoneo Professore statim provideri poterit: vel potius, si ipsis ita videbitur, exspectent ad aliquod tempus, puta sex vel octo mensium, dum nunciis ad exteras nationes opera & diligentia Principalis Secretarii, vel alias, missis, intelligant, utrum in transmarinis Universitatibus, vel extra, præstans aliquis Mathematicus possit huc nostris conditionibus protrahi ad faciendam Professionem: & ad hanc rem sumptus suppeditentur ex provenibus vacationum.

Illustrissimos autem Dominos quam humillime exoratos velim, ut sive ullo respectu dependentiæ, sine ullo discrimine Universitatum aut Nationum, eos solos eligant, quos maxime idoneos crediderint ad illud munus obeundum, atque statim expedita electione, Instrumentum publicum inde fieri jubeant, ad Universitatem, quam primum illis visum fuerit, transmittendum.

Cujus ſic electi admiſſionem volo & ſtatuo fieri ſolenniter in Domo Congregationis per Univerſitatem, ſtatim & immediate poſt Inſtrumentum prædictum receptum, ceſſante legitimo impedimento. Præſtitis tamen ante admiſſionem juramentis de ſervandis ſtatutis Univerſitatis, hocque ſpeciali juramento: Ego N. electus Geometriæ vel Aſtronomiæ Profeſſor, juro me fideliter pro meo poſſe obſervaturum omnes ordinationes & ſtatuta, munus & officium meum concernentia, ſicut Deus me adjuvet per Jeſum Chriſtum, hoc ſacroſancto Evangelio annunciatum.

Sed ad D. Bernardum redeo, qui ex vigore Inſtrumenti ſigillis illuſtriſſimorum Electorum muniti, Oxonium redux, ſtatim a Vice-Cancellario in Domo Congregationis Magiſtrorum Regentium 9. Aprilis M. DC. LXX. III. juramentis, quæ leges regni & ſtatuta Univerſitatis & Fundatoris exigunt, priùs præſtitis, ſolennem in modum admiſſus eſt: cui admiſſioni & D. Walliſius & ego, amoris noſtri teſtandi cauſa, interfuimus. Quo verò tempore, quod paulò poſt ſecutum eſt, pro more, Cathedram conſcenſurus, Orationem inauguralem habuerit, D. Vice-Cancellarius, Doctores, Magiſtri, reliquaque nobilis Academicorum corona, denſo agmine & confertim conglobato, aderant, quem dum de laudibus D. Savilii facundiſſimè perorantem ſummâ cum delectatione audiverint, novi Profeſſoris ingenii nitorem & ſolertiam, eleganſque & diffuſum dicendi genus, non minus, quam iſtarum ſcientiarum, quarum jam publicus Magi-

ſter

ſter conſtitutus eſt, cognitionem ſummis elogiis certatim & impèndiò concelebrârunt.

Circa hoc tempus de edendis veteribus omnibus Mathematicis nobile & nunquam ſatis laudandum conſilium apud Oxonienſes incaluit, promovente ſummo Viro, D. Joanne Fello, Decano Ædis Chriſti, & Epiſcopo Oxonienſi, cui rei Typographicæ in iſtâ Academiâ magna & penè nova inſtauratio, nitidiſſimis elegantiſſimiſque omnium linguarum characteribus, ope Viri doctiſſimi, D. Thomæ Mareſhalli, procuratis, ſi non unicè, ſaltem maximè debetur. Ille propagandis bonis literis indefeſſâ induſtriâ, & animo planè laudabilitèr irrequieto, intentus, qui novam quaſi Academiæ fatiſcenti & penè expiraturæ animam paulò ante infudiſſet, Programmate edito, Magnates, Præſules, cæteroſque omnes, qui de Veterum ſapientiâ & doctrinâ rectè ſentire noſſent, ad patrocinium tanti operis, non abſque maximo impendio conſummandi, in re nimirum ardua, & quæ collatis multorum ſymbolis indigeret, obnixe invitavit. Sibi autem maximè concordes habuit Profeſſores Savilianos; (hiſce enim inconſultis quippiam ejuſmodi aggredi cogitaviſſe nimis fuiſſet temerarium) qui opem ſuam benevole admodum & erectis alacribuſque animis obtulêre. Tantæ molitionis Ideam animo prius formavit D. Bernardus, & collectis omnibus vetuſtis librorum iſtius diſciplinæ, quotquot ab inventâ Typographiâ exſtitiſſent, editionibus, & deinde reſeratis bibliothecarum, præſertim Bodleianæ & Savilianæ, ſcriniis, in quibus codices MSS. ſive hactenus

ctenus inediti, ſive olim editi, ut illi primâ novaque lace donarentur, hi verò emendatiores & ornatiore cultu prodirent, eoſdem omnes pro variâ ſeculorum, in quibus ſinguli floruere, & pro argumentorum, quæ tractabant, concentu in totidem claſſes diſtinxit digeſſitque, quo ordine & ſerie eſſent in lucem producendi. Res iſta non erat parvi temporis aut laboris; ſed quæ ſæpe ſæpius retractari merita eſt. Et ſanè iis omnibus in unum complexum colligendis vix unius ingenium aut induſtria ſufficiſſe videbitur. Tandem ergo relectis, & de novo exploratis, & ad incudem revocatis primis Collectaneis, mutatis, prout melior ratio dictâſſet, additiſque quam plurimis, quorum notitiam aliarum bibliothecarum Catalogi ſuppeditarant; Sciagraphiam, iſthoc tempore reverendiſſimo Epiſcopo prius in manus traditam, & properante & rudiori calamo depictam, poſt multos annos ampliatam, quatuordecimque volumina comprehenſuram, accuratiſſimè delineavit. Hanc verò duplici de cauſâ edere operæ pretium duxi, tum, ut de utiliſſimi iſtius ac magnifici propoſiti fama melius conſtaret, tum, ut ſi quando auſpicatiora illuxerint tempora, Reges Principeſque, qui immenſas in ædibus conſtruendis & illarum apparatu opes, ne dicam in luxu & voluptatibus, parum ſe dignis, nociviſque, & quæ citò effluunt, longè glorioſius, & non, niſi pereunte mundo, perituram monimentum, inde auſpiciis ſuis & munificentiâ regali, hominum doctorum induſtriâ ad id præſtandum allectâ & provocatâ, ſibi condendum & erigendum curarent. Quò

autem

autem meliùs & potentioribus argumentis hoc effici poſſe perſuaderetur, D. Bernardus ante ſuſceptum iter Gallicum, de quo mox dicendum, quantumque commodi in commune literarum bonum ex ejuſmodi novis editionibus exſpectandum eſſet, oſtenſurus, *Euclidem* ſuſcepit illuſtrandum, prænobili ſpecimine in folio, ut dicitur, edito, in quo Græcus textus, & ex adverſo Latina verſio *cum Procli commentario*, Græcè & Latinè, una cum doctiſſimis Scholiis & corollariis, figurarumque delineationibus accuratè exhibentur, hoc modo ſtudioſorum animos a compendiariis elucidationibus, quæ non ſemper ſubtiliſſimi Inventoris mentem ſcopumque benè explicant, (omnes enim ſani Euclidem ſe ſuis verbis meliùs explicaturum cenſebunt) quo meliores Geometræ evaderent, averſurus. Tanto de juventute Academicâ pariter ac de matheſi optimè merendi deſiderio ardebat, ut omnia diagrammata, quæ in iſthoc opere occurrunt, ſuo ſumptu æri curaverit elegantèr incidi. Ut verò ſcientiam Aſtronomicam ex doctrina Veterum, quos Græcia celebravit & mirata eſt, ne profeſſioni ſuæ deeſſe videretur, meliùs illuſtraret, *parvam Syntaxin Alexandrinam*, communitèr *Μικρὸν Ἀστρονόμον* dictam, in qua præter Euclidem, Theodoſii, Autolyci, Menelai, Ariſtarchi, & Hipſiclis opuſcula continentur, edendam ſuſcepit: ut pridem monuit D. Edwardus Sherburnus Eques in catalogo ſuo veteris & ſequioris ævi Aſtronomorum ad calcem Manilii, verſu Anglicano editi, pag. 115. Utinam verò perfeciſſet! Edidit quoque eodem tempore conſummatiſſimus Mathe-

maticus

maticus, D. Walliſius, magnum Academiæ lumen, *Archimedis Syracuſani Arenarium, & dimenſionem circuli*; *cum Eutocii Aſcalonitæ in hanc commentatione*, novâ verſione Latinâ additâ & eruditiſſimis notis: in quibus, textu ab innumeris, quibus priores ſcatebant editiones, mendis purgato, numeriſque, quos fœda & indocta Librariorum manus commiſcuerat, ex novâ calculi ſubductione reſtitutis, cœleſte ſuum ingenium, iſti Archimedeo omninò par & geminum, plaudente univerſo eruditorum choro, demonſtravit. Sed quam irriti optimi hi conatus ceciderint, in Præfatione hujus pulcherrimi libelli D. Fellus, celato licet nomine, modeſtè quidem (quid ni autem mihi indignabundo & gementi addere liceat? cum magno gentis noſtræ opprobrio) queſtus eſt.

Anno M. DC. LXX. VI. a ſereniſſimo Rege, Carolo II. procurante Comite Arlingtoniæ, in Galliam miſſus eſt, ut illuſtriſſimos Adoleſcentulos, Ducem Graftonæ & Ducem Northumbriæ, quos Duciſſa Clevelandiæ illi peperit, tunc Pariſiis apud Matrem ſuam degentes, literis Latinis erudiret, illorumque mentes diſciplinis, quarum iſta ætas capax eſt, imbueret. Munus ſane in ſe perhonorificum, & amplæ dignitatis, & magni æſtimandum; ſed D. Bernardo, non ipſius, ſed aliorum culpâ, planè anxium & inauſpicatum. Ille enim vir mitis ingenii, & verecundiæ benè moratæ, abſque tamen omni affectatâ morum ſeveritate, nedum protervià, utpotè omnibus facilis & benignus, in umbris ſcholarum educatus, artibuſque auliçis & adulatoriis

omnino

omnino inassuetus, aque vanâ jocularis ingenii in circulis fœminarum ostentatione, futilibus colloquiis, fabellisque amatoriis, si quis unquam, alienissimus, se parum gratum hospitem, aut ipsi Dominæ, sive inexspectatus, sive illâ invitâ adveniſſet, aut domesticis, facilè perspexit & expertus est. Pro suâ enim fatuitate illius virtutes non rectè æstimare nôrant, illum Ludimagistrum, quasi contemptim, nuncupantes, & penè convitium inde facturi; quod non sine justâ indignatione & stupore me, dum aderam, (Ipse enim Lutetiam istius anni æstate excurrebam) audiviſſe memini. Interim tamen in isto munere obeundo tantam percipiebat voluptatem, ut tœdium istud patienti, imò & generoso, animo superaverit. Post unius anni spatium, & quod excurrebat, missione impetratâ, ad amatum secessum Oxonienſem reversus est: jam sui juris redditus, nulliusque inficetæ irrisioni, stolidæque censuræ, aut pervicaci imperio, obnoxius. Aliqui censebant, D. Bernardum post reditum animo paulò dejectum, & irritatiorem factum, melancholiâ solito majori laborâsse: quod quidem nec ipse prorsus negaverim: sed mœrore isto sensim deterso, pristinum animi robur, expor-rectæ frontis hilaritatem, obviamque comitatem citò recuperavit.

In hoc autem præcipuum itineris Pariſini fructum, nunquam pœnitendum, imò, quem gestiente & memori animo recolere solitus erat, collocavit, quod magnis Viris & eruditionis laude celebratiſſimis, viz. Petro Carcavio, Regiæ Bibliothecæ Præfecto, Henrico Justello, Ismaeli

maeli Bullialdo, Danieli Huetio, jam reverendiſſimo Epiſcopo Abrincenſi, Johanni Mabillonio, Paſchaſio Queſnello, Andreæ Dacerio, Euſebio Renaudoto, aliiſque coràm innotuerit, quorum amicitiâ & familiari converſatione uſus eſt. Id verò temporis, quod ex quotidianis negotiis reliquum ſuperfuerit, in excutiendis Bibliothecarum forulis, inque codicibus MSS. optimæ notæ, & primæ antiquitatis, examinandis, conferendis, & exſcribendis impendebatur. Igneus enim iſte animi vigor, pertinaxque, quo bonas literas proſequebatur, ſtudium, non illum, obſtaculis quibuſcunque interpoſitis objectiſque, deſtituit, imò eò impenſius crevit, quod in Urbe illa, vel veteris Romæ ob palatiorum magnificentiam & elegantiam, ob ſtatuas, columnas, ac cælaturas affabrè elaboratas, aut quicquid in omni artium genere curioſa & docta manus, quicquid in omni ſcientiarum genere ſublime & ſolers ingenium efficere valet, æmula, & ejuſmodi ſubſidiis literariis mercibuſque contra aurum & gemmas æſtimandis abundantiſſima, ſibi, fato prorſus iniquo & maligno, diu non morandum eſſe mox prævidiſſet. Secundum hoc in aliquam laudis partem, licet gradu inferiori, venire debet, illum non parvam librorum typis impreſſorum, qui erant optimæ editionis, & ob raritatem & præſtantiam repertu difficiles, & maximi in tota artium & ſcientiarum encyclopædia uſus, copiam, ad ditandam ſuam Bibliothecam, collegiſſe. Quantum ſui deſiderium ipſe illic reliquerit, & quam penè immodicis laudibus illius in Angliam abiturientis mode-

deſtiam

ſtiam oneraverint, quo denique affectu, quibuſque officiis amicitiam ex ſimilitudine ſtudiorum & doctrinæ, èque mutuo probitatis & religionis, quæ in leviculis controverſorum dogmatum apiculis ritibuſque paulò variantibus neutiquam conſiſtit, amore & reverentia ortam mordamque conſervaverint, ex non infrequenti epiſtolarum, quæ in hac ſylloge occurrunt, commercio cuivis facillimum & maximè obvium erit colligere. Ille etiam viciſſim admirandæ iſtius benignitatis, quam & præſens in Gallia (uti quoque poſtea a quibuſdam Viris doctiſſimis in Batavia) perceperat, grato animo ſibi conſcius, memoriam nunquam per omne conſequentis vitæ tempus depoſuit, aut ſivit obſoleſcere, ſed immortalem eſſe, inque omne ævum duraturam, in Breviario vitæ ſuæ, animâ in cœlum cognatum jam avolaturâ, voluit teſtatam.

Jam ſibi redditus Bernardus, ad anteactos labores, iſto itinere per annum & ultra intermiſſos, alacriori animo reverſus eſt. Habuit verò, ſi quiſquam alius, vaſtum omniumque diſciplinarum capax ingenium, quod induſtriam, laxamentis debili infirmoque corpori ſuſtentando neceſſariis ægrè cedentem, multò minus turpi otio & ignavia obſoleſcentem, nunquam deſtituit. Veruntamen licet ſcientias Mathematicas ex inſtituto Profeſſionis diligentèr quidem excoluerit, uti poſtea videbimus, tamen longè fortiori animi propenſione & genio ductus, amœnioris literaturæ, putà Hiſtoriæ, tum ſacræ tum prophanæ, omnium gentium omniumque ſeculorum, Chronologiæ & Antiquitatum ſtudium magis

magis deperibat, habebatque in deliciis. Nec diu pulcherrima & maximè optanda ingenii vires hac ex parte latè explicandi defuit occaſio. Ante plures annos D. Fellus, illius operâ uſurus, *Joſephi*, præſtantiſſimi Hiſtoricorum, & poſt Scriptores ſacros maximè æſtimandi, novam, eamque cæteris omnibus emendatiorem, editionem typis Sheldonianis adornare conſtituerat: ſed ab iſto propoſito, neſcio an ſubſidiis ad id opus complendum deſtitutus, an ex fama de V. Cl. Andrea Boſio ferè ubique ſparſa, quod ille nimirum eundem quoque edendum deſtinâſſet, collectis undique è codicibus MSS. Viennenſibus, Lipſienſibus, Schluſingenſibus, quos ipſe, * Vir maximè induſtrius ſagaxque, & in Græcis literis excellens contulit, variantibus lectionibus, & etiam è Pariſienſibus & Florentinis, quorum nimirum lectiones amicorum ſuorum curæ ac humanitati debuit, aut aliorſum impeditus, tunc ſibi deſiſtendum eſſe pro prudentiâ ſuâ voluit, præſtolaturus, donec fœtum iſtum nobilem, quem omnes pulcherrimum ſuiſque partibus abſolutum fore & ominabantur & optabant, prelum Lipſienſe, obſtetricante doctiſſimo Boſio, parturiiſſet. Ille iſtâ bonâ ſpe per multos annos conceptâ, & quæ luctuoſâ Boſii, de re literariâ ſcriptis ſuis hactenus præclarè meriti, & opere deſti-

* Ad D. Boſium ſcripſit Bernardus A. M.DC.LXX.III. de hac, quam dudum aggreſſus eſt, editione, epiſtolam inter cæteras de eodem argumento ad illum datas editam, pag. 137. Vide epiſtolam Schelhammeri ad eundem, p. 462. Vide quoque D. Lionelli Jenkinſii epiſtolam ad eundem, p. 425. De literis vero hiſce D. Jenkinſii v. epiſtolam D. Ezechielis Spanhemii ad Boſium, p. 465.

nato

nato longè præclariùs merituri, morte planè decollaverat, fruſtratus, metam, ſine læſâ cujuſpiam æmuli curſoris in iſthoc ſtadio ambitiosè certaturi famâ, jam attingi poſſe ſatis gnarus, iſtius incepti, auſpiciis ſuis, qui omnia in Academiâ potuit, maturandi ſive gloriam ſive onus in Bernardum curavit transferendum. Bernardus autem inſtar ſapientis Architecti de omni idoneâ re materiariâ, inſtrumentis, reliquoque neceſſario apparatu, ante jacta ædium condendarum fundamenta, ſummè ſolliciti, quantum eſſet exemplarium manuſcriptorum, tum Græci textûs, tum verſionis Epiphanianæ in noſtris Bibliothecis latentium, primò in uſus ſuos comparavit, ſchedis Boſianis, jam illo inſtigante, ab hæredibus ingenti pretio redemptis, & magni ſanè faciendis: cum ex Samuelis Petiti largis commentariis longè antea in Bibliothecæ Bodleianæ gazophylacium ex Gallia tranſvectis, vix quippiam ſubſidii ad illuſtrandum textum colligi potuerit, (demptis exceptiſque quibuſdam è membranis Peireſcianis, ab illo Viro ingenioſiſſimo olim excerptis) * quos nimirum ſpiſſâ Rabbinicarum obſervationum farragine ad nauſeam uſque oppleviſſet. Deinde, Bernardus, ſpecimine operis Joſephici edito, doctiſſimos Amicos ſuos per Galliam, Belgium, & Germaniam, alibique ſparſos, crebris literis ſolicitavit, ut ſuppetias in hac re omnibus profutura laboranti ferre vellent. Vix quicquam nuncii aut faventiori aure exceptum aut ſonantiori plauſu. Omnes

* Vide epiſtolam Bredelii ad Boſium, p. 350.

bona dicere de opere & Editore certatim geſtiebant: & inter ipſos quoque D. Iſaacus Voſſius, acerrimus ingeniorum cenſor, imò laudum, quas aliqui jure vendicaverint, ſive ex exquiſitiſſimo judicandi acumine, ſive ex morositate indolis, ſæpè nimium quàm parcus. Hiſce ſubſidiis inſtructiſſimus Bernardus grande hoc opus jam aggreſſus eſt; fruſtra querelas ſuas de hac palmâ ſibi prærepta interponente D. Monachio Leidenſi, inque illo, craſi licet labore continenti vigiliiſque penè exhauſtâ, ac viribus debilitatis, alacer & ſibi conſtans, neglectâ bonæ valetudinis curâ, diu perſeveravit. Unde verò contigerit, quod opus iſtud deſideratiſſimum & tanto molimine elaboratum, quaſi in medio abruptum, pro deplorato relinqueretur, ſalvâ & integrâ manente D. Bernardi famâ, heic paucis indicabo. Multi verſionem Epiphanii, tanquam imperfectam, indoctam, & Græco textui in quamplurimis parum reſpondentem, redarguentes, novam, vel ſaltem Gelenii interpretationem recognitam & emendatam, ubi iſte Vir doctiſſimus præ feſtinatione aut oſcitantiâ ſenſum Authoris non ritè fuiſſet aſſecutus, importunè & penè ingeſtis convitiis deſiderârunt, & de variantium lectionum in molem vix tolerandam excreſcentium copia acriter queſti ſunt. Quod & ipſe primo inſpectis perlectiſque, D. Bernardi rogatu, antequam typis excluderentur, ſchedis, objectum iri facilè præſentiebam, amicè monens, in his tanto cum labore, nè dicam curioſitate, annotandis, inque cenſum referendis, omnem operam inutilitèr collocari: paucis tantummodo,

tummodo, quarum ope vera Græci, ubi aut luxatus aut corruptus jacebat, textûs lectio erui & restitui potest, exceptis, & cum curâ seligendis: exemplo Viri præstantissimi, & in hisce literis tractandis summo cum judicio exercitatissimi, Henrici Valesii, quod imitandum proposui: versionibus Rufini Aquileiensis & Epiphanii Scholastici sæpenumero ab illo consultis, inque novum examen, ubi opus erat, revocatis. Librarii autem, alii ex aliis transcribentes, voces sæpè aut mutârunt aut addiderunt, prout ipsis lubebat: unde pro numero exemplarium, si plura suppetiissent, feracior ejusmodi lectionum seges, non cujuspiam bonæ frugis, & planè resecandæ, continuo excresceret. Quod de quamplurimis quoque Græcis lectionibus, quarum tamen diversa ratio laboriosa exploratione melius indigeret, pariter dicendum est: sæpè enim pompæ quasi causâ & ad ostentandam diligentiam ab Editoribus recentioris ævi accumulari solent. Maximè verò displicuit Commentariorum prolixitas, in quibus integræ Dissertationes, ad calcem operis meliori jure rejiciendæ, aut justo volumine seorsim edendæ, extra omnem, ut hi putabant Censores, necessitatem inferuntur. Hinc inter Curatores & D. Bernardum primò ortæ simultates, deinde mutua displicentia, & apertæ lites, utrisque, pro diversa, quam secuti sunt, sententiâ, argumentis ultrò citroque agitatis tenacissimè inhærentibus. Hoc ustit animum Bernardi, ægerrimè ferentis, aliam methodum, contra quam ipse statuisset, sibi juberi ineundam. Cessant operæ Typogra-

phicæ, nec ampliùs jam, Democraticis Schiſmaticiſque rempublicam literariam, pariter ac civilem & eccleſiaſticam, turbantibus, præſertim poſt D. Felli, præcipui hujus editionis fundi, animam in cœlis receptam, de edendo integro Joſepho ſumptibus Univerſitatis erat cogitatum. Poſt ſex ſeptemve annos, D. Bernardus importunis trium bibliopolarum Oxonienſium precibus victus, opus illud denuò in manus ſumpſit, jam contractiori formâ ad modulum novi ſpeciminis publicandum: cum verò flagrante bello tanto oneri ferendo vix eſſent, paucis ſchedis impreſſis, jam ſuæ temeritatis ſatis convicti, & ipſi quoque deſtiterunt. Ita de Joſepho ejuſque Chronologiâ reſtitutâ conclamatum eſt: cujus triſti fato comites & aſſeclæ, Ariſteas, Joſephus Gorionides, & Hegeſippus *de excidio urbis Hieroſolymorum*, proſtrati, tantiſque ſub ruinis ſepulti jacent. Quantum verò in omni literarum genere excelluerit Bernardus, qualem Polyhiſtora & Criticum, quantâ ſubtilitate ingenii, quàm ſolerti pollentem judicio, quàm in intricatiſſimis temporum ſupputationibus accuratum, quàm in Scriptoribus omnium generum, Latinis, Græcis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Armeniacis, Copticis, legendis familiarem, quàm antiquitatum ſacrarum prophanarumque probè callentem, in Scholiis, annotationibus, & diſſertationibus in quatuor libros Archæologiæ Judaicæ Flavii Joſephi, & partem quinti, (in his enim ſolis illius ſudavit induſtria, nec ultrà in alienam provinciam extenditur) ſe præſtiterit, ſupervacanei erit laboris hic pluribus oſtendere:

dere : cum id jam omnes, diſtractis exemplaribus, nôrint, & ubivis ſit teſtatiſſimum. Dolebunt mecum harum literarum ſtudioſi & amantes, hiſce, ſive æquis ſive iniquis, interpellationibus, grave iſtud damnum, quod vix ſeculum reparaverit, Reipublicæ literariæ contigiſſe.

Poſt hunc quaſi abortivum Bernardini ingenii fœtum, reliquos faventiori Lucinâ in dias luminis auras editos, cum id cognati argumenti ratio exigere videatur, ſerie licet hujus breviculæ narrationis paulò interruptâ, hic ſummatim recenſebo : de longè pluribus ineditis, quibus componendis magnam vitæ partem ſummâ cum induſtriâ impenderat, infra loco oportuniori dicturus.

I. Anno M. DC. LXXX. V. commentationem ſuam *de menſuris concavis, ponderibus antiquis, & menſuris diſtantiarum*, ad calcem ſpiſſi voluminis commentariorum in Prophetiam Hoſeæ, à Viro doctiſſimo, D. Edwardo Pocockio, Anglicè editorum, ſive ejuſdem, qui illius ſententiam de *Letheco* Ebræorum rogaverat, conſilio, ſive ut junctis operis utriuſque fama mutuæque amicitiæ memoria ſimul propagarentur, adjici paſſus eſt. Liber vix Exteris cognoſcendus, & quem nemo ex Mathematicis Philologiſque noſtratibus iſthic eſſet quæſiturus. Ne igitur ſibi, de hoc nobiliſſimo rei literariæ argumento, quod ſeſe in omnem antiquitatem omnigenamque hiſtoriam quaquaversùm diffundit, hinc præclarè admodum merituro, aut aliis, quorum nummis

parcendum erat, diutius deeſſet, eandem commentationem diligenter noviſque curis recognitam, & duplo locupletiorem factam, triennio poſt, viz. M. DC. LXXX. VIII. è Theatro Sheldoniano typis pulcherrimis ſeorſim edendam curavit, ſub hoc titulo, *De menſuris & ponderibus antiquis Libri tres*; quos D. Pocockio, amoris & obſervantiæ ergô, alterâ hac etiam vice inſcripſit. His autem jam accedebat præclara appendix, duas epiſtolas V. V. Cl. alteram N. Fatii *De mari æneo Solomonis*, & Thomæ Hyde, Bibliothecæ Bodleianæ Præfecti, *de menſuris & ponderibus Sinenſium* alteram, ad D. Bernardum complectens. Liber ſanè non pompæ, ſed uſui deſtinatus, inque hanc ſynopticam formam ex induſtriâ contractus, quem grandi divitique auri maſſæ, in minores laminas, facilius ad oculum pulchritudinem nitoremque ſuum oſtenſuras, ſi voluiſſet artifex, diducendæ, rectè aſſimulaverim. Poſt exhauſtam enim omnium Authorum, qui præiverunt, notitiam lectionemque, nullius exiſtimatione læſâ, erroribuſque in illorum ſcriptis paſſim occurrentibus, in quibus acri cenſurâ notandis homines protervæ mentis maximè ſolent delectari, penitus diſſimulatis, in compendium quicquid infinitâ fere varietate in Veterum ſcriptis ubique ſpargitur, multis novis obſervationibus, ex ingenio & calculis accuratiſſimè ſubductis, ſubinde ſuperadditis, ſolertiſſimè redegit. Quod verò ad rem nummariam ſpectat, non alienæ induſtriæ omninò fidendum ratus, ipſe quamplurimos veteres nummos in publicis Academiæ cimeliis aliorumque Muſeis repoſitos,

exacta

exactâ bilance expendit, ut illorum valor cum pondere collatus melius liqueat, & de utriſque, fixis quaſi hujuſcemodi ſtateris, quarum fides explorata habetur, certius conſtare poſſit. Fruſtra autem de hujus libelli obſcuritate queruntur aliqui, quæ ſibi ſolis, in rebus ejuſmodi indagandis hactenus parum verſatis, (neque enim Elementa in puerorum aut jam diſcere incipientium uſum ſcripſit) vel ſaltem non debitam mentis intentionem adhibentibus, meliori jure imputabitur.

II. *Private Devotions*, in 12°. Oxonii è Theatro M.DC.LXXX.IX. h. e. ut paulò latius titulum explicem: *Exercitia ſpiritualia, & vitam pie & Chriſtiane inſtituendi methodus, cum formulis precum, tam in quotidianis, quam in ſolennibus religionis officiis, cum quiſquam Deo & ſibi vacaverit, clam & in privato ſeceſſu utendis.* Liber ſane mole exiguus, ſed uſu & fructu ſolidæ pietatis magni æſtimandus: de quo memini me, poſtquam attentiſſimâ mente perlegiſſem, reſcripſiſſe, quod intimis medullis ſentiebam, illum, quando decretoria illa ex hac vitâ abeundi adventura eſſet hora, inde majus ſolatium, quàm ex famâ conſummatæ eruditionis poſt ſe relinquendâ percepturum. Nec mihi temperare queam, quin, ut ut moroſis cenſoribus res levicula videbitur, memorem reverendiſſimo Viro, D. Gulielmo Sanderofto, Archiepiſcopo Cantuarienſi, & invicto Eccleſiæ Anglicanæ Confeſſori, inter alia, prout mihi, cum Authoris rogatu & ipſius nomine Enchiridion illud obtuliſſem, ſanctiſſimus ille Archipræſul referre dignatus eſt,

metricam paraphraſin penè omnium verſiculorum Pſalmi CXXXIX. de divinâ omnipræſentiâ, ob admirandum ingenii acumen, elegantiam ſermonis, & ſacræ poeſeos accurationem in iſto minutulo ſpecimine ſatis luculentèr monſtratam, ſibi mirè placuiſſe. Ad finem acceſſit *Brevis Decalogi paraphraſis*, ſive dilucida ejuſdem tam juxta literalem communemque ſenſum ad mentem Judæorum & Chriſtianorum, quam ſpiritualem juxta præſcriptam diviniſſimæ Chriſti in monte concionis normam explicatio.

III. *Orbis eruditi Literatura a charactere Samaritico deducta :* quam tabulâ amplioris formæ elegantiſſimè & accuratiſſimè juxta ſcripturæ ſuæ exemplar æri incidendam propriis ſumptibus curavit. Hinc uno intuitu, & quidem abſque laborioſâ indagine, intueri eſt varias pro variâ temporum & ſeculorum ratione literarum figuras, quarum uſus olim erat apud Phœnicas, deinde apud Samaritas, Judæos, Syros, Arabas, Perſas, Indorum Philoſophos, Brachmanos, populumque Malabaricum, Græcos, Coptitas, Ruſſos, Slavoſque, Armenos, qui ex Græcis, uti Æthiopes à Coptitis, ſua alphabeta derivârunt, & denique apud veteres Latinos, è quorum literis Francos, Saxonas, Gotthos, aliaſque gentes Septentrionales, ſuas quoque traduxiſſe, ille ad oculum oſtendit : annexo huic tabulæ literariæ laterculo, complectente præcipuas compendiarias notas Græcorum, uti & Medicorum, Mathematicorum, & Chymicorum, maximi uſûs in legendis Antiquorum libris, cum præclaris aliarum

rum abbreviaturarum ſpeciminibus. Cùm verò hanc tabulam, induſtriâ indefeſſâ, & nullis difficultatibus obterendâ, ex vetuſtiſſimis marmoribus, nummis, membraniſque feliciſſimè collectam, omnes, candoris & ſolidæ eruditionis famâ inclyti, ſummis laudibus & juſtâ admiratione exceperint, unius fortaſſe aut alterius hic apud nos ſciolorum ridenda φιλαυλία laborantium impudentia penitus damnanda eſt, qui hac ſpretâ ſuſque deque habitâ, ſe Tabulam novam longè accuratiorem melioremque tandem aliquandò, h. e. ad Græcas calendas, edituros crepant. Ità ſibi ſapere videntur cenſores invidi protervique, ne dicam, quod tamen verè dici poſſit, inſipientiſſimi.

IV. *Canon præcipuarum e Stellis fixis (numero* XXIII.*) ſecundum obſervata Majorum*, in quo ex Ptolemæo, potiſſimùm verò ex variis Scriptoribus Arabicis Perſiciſque, & aliis ſequioris ævi, earundum magnitudines, longitudines, latitudines, rectæ aſcenſiones, & declinationes exhibentur: Veterum quoque calculationibus additis de intervallis annorum ſolarium, quibus per unum gradum progrediendo anticipant: quem reverendo Viro, D. Roberto Huntingtono, inſcriptum, Actis Philoſophicis pro menſe Aprilis A. Ch. M. DC. LXXX. IV. Oxonii publicatis inſerendum permiſit. Poſtquam autem eximias haſce ſideralis ſcientiæ elucidationes ex veterum Aſtronomorum obſervatis, jam Latinè extantes, Londinenſibus Aſtronomis aliiſque magnis Viris è Societate Regia, cujus ipſe erat Socius, veræ Phi-

philoſophiæ & ſcientiarum inſtauratoribus, pergratas fuiſſe ſenſiſſet, Actis pro menſe Septembri ejuſdem anni epiſtolam ad V. Cl. Joannem Flamſtedium Mathematicum Regium edidit: in quâ continentur

V. *Obſervata ex Græcis, Arabicis, Perſicis, Judaicis, Latiniſque Scriptoribus de obliquitate Zodiaci:* ex quibus, demptis correctiſque quibuſdam Antiquorum erroribus, qui ex defectu inſtrumentorum, in quibus elaborandis perficiendiſque felix hujus & ſuperioris ſeculi infudavit induſtria, præ exceſſu in calculum irrepſerint, λόξωσιν Zodiaci ab orbe condito neutiquam variâſſe, ſed prorſus unam eandemque fuiſſe, rectiſſime ſuſpicatur. Nec reticendum arbitror, (licet illâ in re leviculâ ipſe nomen ſuum voluerit reticeri) ingenioſam illam & eruditam recenſionem diſſertationum D. Raphaelis Fabretti *de aquis & aquæductibus veteris Romæ*, illo anno ineunte in Actis publicatam, illius induſtriæ deberi. Utinam cæteri Epitomatores, annis nuper elapſis, hic apud nos parem curam fidemque impendiſſent!

VI. *Etymologicon Britannicum*, ſive vocabulorum Anglicorum & Britannicorum origines Ruſſicæ, Slavonicæ, Perſicæ, & Armeniacæ, quas ex ampliſſima, ut videtur ex præfatione, *de orbis eruditi literatura* diſſertatione, quam ſedulò molitus eſt, decerptas, ad calcem Grammaticæ Anglo-Saxonicæ & Mœſo-Gothicæ Viri doctiſſimi, D. Georgii Hickeſii, Oxonii An. Ch. M.DC.LXXX.IX.

M.DC.LXXX.IX. editæ, ſub iſto nomine comparere voluit. Hoc autem nobile argumentum ſub juſto Gloſſarii titulo magno volumine facile quidem explicare poterat, niſi id alieni operis, neutiquam grandiorem molem admiſſuri, fuiſſet acceſſio.

VII. *Chronologiæ Samaritanæ Synopſis*, ex Manuſcriptis eruta, & duobus pinnaciis comprehenſa; in quorum altero Epochæ celebriores reſque maxime memorabiles à primordiis mundi ad hæc tempora per majora intervalla ſignantur: in altero Pontificum Samaritanorum indiculus eſt, ab Aarone per plurimorum ſeculorum ſucceſſiones continuatus. Specimen hoc Chronologiæ Samaritanæ olim in literis miſit D. Bernardus ad celeberrimum Virum, D. Jobum Ludolfum; qui in Actis Eruditorum menſis Aprilis A. C. M.DC.XC.I. Lipſiæ publicatis inſerendum curavit.

VIII. *Notæ in fragmentum Seguierianum Stephani Byzantini*, quarum partem, quæ ad Dodonem ſpectant, Vir eruditiſſimus, & in Græcis antiquitatibus explorandis & eruendis optime verſatus, Jacobus Gronovius, ad calcem exercitationum ſuarum de Dodone Lugd. Batav. M.DC.LXXX.I. edidit.

IX. *Adnotationes in epiſtolam S. Barnabæ*, in editione Felliana, Oxon. M.DC.LXXX.V.

X. *An-*

X. *Annotationes*, breviculæ quidem, ſed argutæ, ſed doctæ, *in Scriptores Apoſtolicos* editionis Cotelerianæ: & in nuperâ editione Amſtelodamenſi publicatæ.

XI. *Scholia & annotationes in Græcas Inſcriptiones Palmyrenorum.* Trajecti M.DC.XC.VIII.

XII. Latine convertit literas Samaritanorum, quas V. Cl. D. Huntingtonus, dum Sichemi aderat, ad Fratres ſuos in Anglia M.DC.LXX.III. mittendas procuravit. Iſtam verò verſionem, quam mihi legendam mox exhibuit, & ut in meos uſus tranſcriberem, benevole permiſit D. Bernardus, ipſe clariſſimo & præſtantiſſimo Viro, D. Jobo Ludolfo, quo tempore erat hic apud nos, ut illius deſiderio gratificarer, facilis communicavi. Ille autem hoc cimelio in ſylloge quarundam epiſtolarum Samaritanarum ad ſe alioſque ſcriptarum Remp. literariam impertitus eſt.

Anno M.DC.LXXX.III. famâ Auctionis Heinſianæ incitatus D. Bernardus, iterum navigaturus in Hollandiam, ventis furentibus, navim alacer conſcendit, non aliter ac nautæ, bonâ freti ſpe ex oris Africanis aut Americanis, vaſtiſſimo licet mari interjecto, aurum reportandi. Omnia voto feliciſſime reſponderunt, imò ſupra ſpem & exſpectationem. Jucundiſſimum erat Claſſicos Authores omnium generum, aut cum Manu-

Manuſcriptis collatos, aut quorum marginibus docta Joſephi Scaligeri, Bonaventuræ Vulcanii, Heinſiorum, Patris & Filii, aliorumque, qui hanc egregiam literaturæ partem, ſummo cum omnium applauſu, poſt renatas literas tractârunt, manus Scholia, emendationes, & conjecturas alleviſſet, ſibi, erogatis penè ultra modum nummis, non ſine gravi rei familiaris damno, in peculium comparare, longè pretioſiori ſupellectilis librariæ parte inde conſtituendâ. Nec ſolo hoc nomine felix iſtud iter ſibi gratulatus eſt: in quo redintegratis veteribus amicitiis, novas cum præclariſſimis & eruditiſſimis Viris, quibus Fœderatum Belgium meritò gloriatur, viz. Joanne Georgio Graevio, Frederico Spanhemio, Jacobo Triglandio, Jacobo Gronovio, Jacobo Perizonio, Theodoro Ryckio, Servatio Gallæo, Evaldo Rulæo, aliiſque, ſolâ morte finiendas contraxerit: quorum obviam humanitatem e candidiſſimis pectoribus ubertim fluentem, in colloquiis, in conviviis, in negotiis expediendis, omni tempore, quo illorum ope & conſilio erat utendum, dum apud illos moram fecerit, expertus, ovanti & grato ore indeſinenter prædicabat: præcipue vero mirari ſolebat ſummam Viri ampliſſimi, & tam ob amœniorum literarum culturam, quam ob politicas artes civilemque prudentiam celeberrimi, Nicolai Witſenii, Conſulis Amſtelodamenſis, benignitatem; in cujus laudibus celebrandis erat aſſiduus, utpote ab eodem, non tantum humaniſſime, & citra omnem faſtum, & dignitate ſenatoriâ quaſi depoſita, exceptus, ſed inſigni munere, Dictionario

natio Coptico, quod V. Cl. Theodorus Petræus Holſatus olim ex Ægypto advexerat, donatus. Quaſi verò de ſolo Bernardo optimè meruiſſe parexigui momenti ſibi eſſe videretur, pro maximo bonis literis benefaciendi ſtudio, typographeum Oxonienſe typis ferreis Copticis Æthiopicisque, ad Bernardum tranſmiſſis, ex munificentiâ ſuâ idem Vir ſummus anno M.DC.LXXX.VI. auctum ornatumque voluit.

Bernardus, ſive humanitate gentis Batavicæ, & præcipuè Profeſſorum Leidenſium, quos vicissim mutuo amore proſecutus eſt, ſive amore linguarum Orientalium victus, Oxonium Leidâ commutâſſe, modò illud iſtiuſmodi literas publicè profitendi & docendi munus, quod ex Idonei viri, qui in eruditiſſimi Golii locum pari gloriâ & meritis ſuccederet, defectu vacavit, illorum, qui Collegam fore ardentiſſimis votis optâſſent, operâ potuiſſet obtineri, apud ſe ſtatuebat: non quaſi infenſo animo patriam & amicos eſſet deſerturus, ſed ut linguarum Orientalium ſtudium, quod ſummis in deliciis habuit, felicius per gentes Europæas propagaret, & ut in iſto communi literaturæ emporio, ubi bibliopolæ longè generoſiores, quam noſtri ſolent, alunt ſpiritus, & famæ pariter ac lucro velificantes, nullis ſumptibus, in procurandis elegantiſſimis accuratiſſimiſque librorum editionibus, parcunt, ingenii ſui fœtus, quod in Angliâ pro temporum infelicitate vix fieri potuiſſe triſtis admodum ſenſit, in publicam lucem faciliori & feliciori operâ ille præſens protruderet. Sed conatu iſto, intercedentibus, neſcio quibus, ob-

obſtaculis, (uti poſtea, quando iterum renovaretur) in auras abeunte, mercibus literariis onuſtus, non mediocri amicorum, qui diuturniorem abſentiam ægrè ferrent, gaudio Oxonium reverſus eſt.

Non diſſimulabo illum jam reducem, animo ab hiſce ſtudiis Aſtronomicis, de quibus tanquam jejunis, aridiſque, & quæ neutiquam vitam aut meliorem aut beatiorem fecerint, apud me ſæpè queſtus eſt, plane averſo, annis quoque ingraveſcentibus & afflictâ valetudine colluctantem, a munere iſto, propoſitis æquis honeſtiſque conditionibus, in gratiam aut D. Flamſtedii aut D. Hallæi, qui ſideralem hanc ſcientiam ſummâ cum induſtriâ & admirando quidem ſucceſſu, applaudente orbe Europæo, excoluerant, & pari apud exteros ac noſtrates famâ adhuc excolunt, cedere voluiſſe. Sed cum id difficillimum eſſet, & fruſtra exſpectandum, ſaxum iſtud verſare oportuit, donec, faventibus Patronis & Amicis, de opimiori fortunâ ipſi fuerit providendum: quod nonniſi poſt octennium contingebat: ut mox narrabo: paucis de Doctoratu, quo inſignitus eſt, interjectis. Neque enim, ut largos commentarios rerumque geſtarum (quod cujuſpiam privati hominis, nedum umbratici Doctoris, qui in muſeo abditus, libriſque ſolis intentus, vitam egit placidiſſime, ab omni ſtrepitu publiciſque negotiis remotiſſimam, vix patitur mediocris fortuna & conditio) Annales ſcribam, quiſquam rite exigere poterit.

Anno M. DC. LXXX. IV. cum D. Bernardus quoſdam ex amicis alioſque longe ætate, multo vero

vero longius meritis inferiores, ſingulis annis doctoralem purpuram induiſſe vidiſſet, damnoſa illa ac pertinaci modeſtia ægre expugnatâ, præſtitis pro more ſolenni exercitiis, ad ſummum in Theologiâ gradum, quem jure optimo ante multos annos ambiiſſe licuiſſet, tricesimo die Octobris iſtius anni promovetur. Anno M.DC.XC.I. ex inſigni gratiâ & favore ſummi ſui Amici & Patroni, D. Petri Meweſii, Wintonienſis Epiſcopi, opimo ſacerdotio ſive Rectoratu, ut municipali vocabulo utar, parochiæ de Brightwell in agro Bercherienſi donatus eſt, quem pleno jure iſta ætate, divite annonâ perceptâ, poſſidebat. Oppidum illud non niſi novem milliaribus ab Oxonio diſtat, adeo ut pari commoditate aut hic aut illic pro diverſâ tempeſtatum anni ratione morari poſſet. Retinendas enim ædes Oxonienſes tum ille tum amici cenſuere, non tamen ſacro munere, quod ipſe ſæpe præſtabat, neglecto, licet facultatem virum idoneum ad ipſius abſentis vices ſupplendas ſubſtituendi ex formulâ juris Eccleſiaſtici impetrâſſet. Hac bonâ ſorte admodum felix, inde nimirum nova ſtudiorum ſubſidia & ſolatia petiturus, & jam, cùm antea rei familiaris anguſtiis, dum aliis iverit proſpectum, pene oppreſſus videretur, ſenectutem corpori invalido mox incubituram commodius lautiuſque toleraturus. Poſt * triennium Virginem bene moratam in uxorem duxit, cum qua vixit amantiſſime & jucundiſſime. Si qui autem haſce nuptias tanquam ipſius ætati

* Auguſto M. DC. XC. III.

parum

parum congruas decoraſque exagitaverint, ſe parum æquos rerum cenſores rigidoſque affectuum humanorum, ſive fortium, ſive infirmorum, arbitros præſtant: in quibus cum ipſe ſibi per vitam conſequentem mirè complacuiſſet, non eſt, quod quiſpiam moroſus omninò criminetur.

Jam hoc novo, eoque Eccleſiaſtico, munere auctus, poſt aliquot menſes juxta ſtatutorum Savilianorum normam, a profeſſione Aſtronomiæ, quam per octodecim annos tenuerat, lætus libenſque ceſſit: in cujus locum ab illuſtriſſimis Electoribus cooptabatur peritiſſimus & ſubtiliſſimi ingenii Mathematicus, David Gregorius, Scotus, nuper Matheſeos in Academiâ Edinburgenſi Profeſſor.

Circa annum M.DC.XC.II. commodè accidebat, ut laudabile iſtud edendi Catalogos codicum Manuſcriptorum in Bodleianâ privatiſque Collegiorum bibliothecis hodie exſtantium inſtitutum, olim, quod certiſſimè mihi conſtat, ſuſceptum, ſed infelicitèr ſopitum, inque primis vitalis auræ halitibus exſtinctum, apud Oxonienſes reviviſcere cœpiſſet, utpote jam fauſto ſidere natum, & felicioribus auſpiciis inchoatum; quod curæ D. Bernardi commiſſum, & nominis auctoramento munitum, ille publico omnium literarum, & præſertim illius Academiæ, bono natus, mediis licet angoribus ex calculo & pthiſi, medullas vitaleſque ſpiritus ſenſim depaſcente, ortis conſtitutus, in ſe conſummandum recepit. Egregio huic operi adornando & perficiendo, Viri nobiles & docti, per univerſam

Angliam & Hiberniam quaquaverſum ſparſi, ſymbolas ſuas certatim contulêre, quorum benignitatem & erga bonas literas, Academiam Oxonienſem, & Patriam amorem, animique quoque dotes, præfationibus lemmatibuſque, quæ ſingulorum catalogis præmittuntur, valdè magnificis, & pro nimiâ ſua bonitate planè admirandis, & nullatenus in omnibus promiſcuè admittendis, ille celebrat elogiis: ſed omnis iſte labor nihili videbitur, ſi cum accuratiſſimo illo Indice ſecundum Alphabetum, quem ex ſchedis, è prelo calentibus, lectis relectiſque, exquiſito judicio & incredibili induſtriâ collectum, & duobus magnis voluminibus digeſtum, quæ bis terve, ante ſuſceptum, quarto ante obitum menſe, noviſſimum iter Hollandicum, uti ab illo accepi, propriâ manu deſcripſerat, conferatur: de quo paulò fuſius agam, quando de libris collectaneiſque ejus ineditis diſſeruero.

Itineris in Hollandiam tertio ſuſcepti, a quo nullis objectis periculis, non tempeſtatum, quæ poſt Æquinoctium autumnale ſævire ſolent, non malorum, ſi a Gallis, ſuis excurſionibus ſubinde totum illud fretum oraſque maritimas infeſtantibus, interciperetur, non mortis ipſius, quam morbis fracta valetudo continuique languores moleſtâ hac navigatione exacerbandi, citra omne remedium ab arte medicâ petendum, intentabant, metu, dimoveri potuiſſet, (illa enim, omnia, imò quod difficilius erat, conſilia, cenſuraſque, ne dicam exprobrationes amicorum ipſi in os impactas, forti, excelſo, & imperterrito animo contempſit & ſuperavit) cauſa hæc fuit.

Nuper

Nuper hæredes Goliani, erroris ſui triſti damno ſatis convicti, quod ante viginti octo annos Cantabrigienſibus bibliothecam integram longè doctiſſimi & famigeratiſſimi Diſcipuli, ut Erpenii Præceptoris codicibus, quos ex munificentiâ illuſtriſſimi D. Georgii, primi Ducis Buckinghamiæ, poſſident, adjiceretur, ingenti pretio redimere volentibus non conſenſiſſent, illam publicâ auctione menſe Octobri A. C. M.DC.XC.VI. apud Lugdunum Batavorum habendâ, disjunctim, quo melius rationibus ſuis conſuleretur, venum exponere conſtituerunt. Quod cum compertum habuiſſet D. Bernardus, multa animo agitabat, ut codicum iſtorum, ſi non major, ſaltem melior pars in Anglos derivaretur. Nemo enim, quanti ditiſſimus iſte librorum, varietate argumentorum, puta in rebus Theologiæ, tum Chriſtianæ, tum Mohammedanæ, Medicinæ, Hiſtoriæ, Matheſeos, aliarumque artium & ſcientiarum, mirè præſtantium, & linguis variis, viz. Arabicâ, Syriacâ, Turcicâ, Perſicâ, Copticâ, Malabaricâ, Sinicâ conſcriptorum, theſaurus, quem exquiſito judicio, laborioſâ ſedulitate, & maximis impenſis, dum in Oriente manſerit, doctiſſimus & ſapientiſſimus Golius, ſplendidiſſimum, poſt Eraſmum, Grotium, & Iſaacum Voſſium, Bataviæ lumen & ſummum decus, acquiſiverat, eſſet æſtimandus, illo, qui anteà iſtos ſolerter explorâſſet, accuratiùs noverat. Ex ſuis reditibus non ſuppetebat, quod iis comparandis impenderetur, nec, ut res tunc ferebant, ex publico Academiæ penu in bibliothecis Orientalibus V. V. Cl. Edwardi Pocockii

& Roberti Huntingtoni immani pretio emendis, pene exhauſto, ut id fieret, erat exſpectandum. Quid ergo? Rem integram reverendiſſimo Viro, & Orientalium linguarum, uti & ſacrarum naturaliumque ſcientiarum, peritiſſimo, D. Narciſſo Marſho, Archiepiſcopo Dublinienſi, cum quo ipſi intercedebat frequens literarum commercium, veteri amicitiâ, olim Oxonii contractâ, fundatum, & cui honoris & obſervantiæ cauſâ elegantiſſimam epiſtolam Operi Miſnico Viri longe eruditiſſimi, Gulielmi Guiſii, graviſſimo rei literariæ damno in triceſimo primo ætatis anno variolis præmature exſtincti, (O quam Te memoro, doleo, deſideroque, Amicorum ſuaviſſime!) præfixam inſcripſit, ſerio expendendam propoſuit: quo vix aliquis forte per univerſas Britannias, qui aut generoſiori animo, aut ardentiori ad has literas juvandas propenſione inclareſceret, erat reperiendus. Quod cum neutiquam amicitiæ blanditiis occæcatus, multò minus turpis obſequii adulationiſque vitio quicquam indulgens aut obnoxius, ſed ex ſenſu veri & æqui dixiſſem, fateberis mecum, candide & erudite Lector, ſi noris, illum, inter alia laudatiſſima ἀνεξεταθήμαλα, exemplo reverendiſſimorum Antiſtitum, Gulielmi Laudi Cantuarienſis & Jacobi Uſſerii Armachani, ductum, plurimos quoque codices manuſcriptos, rariſſimæ & optimæ notæ, tanquam opima ſpolia ex barbarorum manibus erepta, magnis ſumptibus in Angliam advehendos * procurâſſe. Ille conſi-

* Ope præſertim V. Cl. D. Roberti Huntingtoni, tum temporis Mercatoribus Anglis, Halebi in Syria degentibus, à Sacris.

lium

lium D. Bernardi facili aure excipiens, benevoloque animo amplexus, negotium iſtud hujus arbitrio permiſit, pecunias, quantas vellet exigere, tum ad iter iſtud, ſi per valetudinem licet, ſuis ſumptibus inſtituendum, tum ad libros ſelectiſſimos quovis pretio, prout ipſi videretur, comparandos ſuppeditaturus. Quod ex integro & abundè præſtitit. Bernardus viatico inſtructus, patriæ & literarum bono, nedum exiſtimationi, quippiam detrimenti labiſque, niſi fidem datam promiſſamque præſtitiſſet, ut ſcrupulosè nimium veritus eſt, contracturæ, vitæ amorem poſtponens, nec Londini quoquo modo ſiſtendus, ſolâ uxore comitatus, iter periculoſum lætus arripit, cum ventis, moleſtæ navigationis malis, & potiſſimum corporis tabe confecti ægritudinibus conflictaturus. * Sanè abiturientem luximus, longumque vale diximus, tanquam illum non amplius in hoc caduco & mortali rerum ſtatu viſuri. Sed Deo miſericordi triſte omen avertente vivus ſalvuſque littus Hollandicum, præter exſpectationem noſtram, appulit: inde, ut mihi lætabundus Roterodamo reſcripſit, quaſi novas vires languido corpori mens vegetior facta affudiſſet, Leydam properavit, à clariſſimis & doctiſſimis Viris, Spanhemio, Triglandio, Gronovio, Perizonio, veteribus Amicis, Almeloveenio, Sypeſtenio, aliiſque, quibus ſolo nomine ac famâ anteà innotuiſſet, omnibus benevolentiæ & benignitatis officiis exceptus, & beneficiis cumulatus. Quantam verò librorum,

* Medio Septembri M. DC. XCVI.

quam divitem & pretioſam! copiam ſecum reportaverit, ex catalogo librorum MSS. reverendiſſimi Archi-præſulis Dublinienſis, in magno opere Catalogorum, Oxonii nuperrimè juris publici facto, ſatis liquet. Noluit è Batavia diſcedere, inſalutato Viro optimo & doctiſſimo, omnibuſque elogiis majori, Joanne Georgio Graevio, quem ſummo amore & affectu dudum coluit, &, a quo pariter erat redamatus. Sed poſt moram ſex ſeptemve ſeptimanarum, reque ex voto peractâ, amicis Leydenſibus & Trajectinis iterum valedicere oportet, ut feſtinanti pede iter remenſurus, in patriâ & in ædibus ſuis apud Oxonienſes, quod maximè in votis & optatis habuit, mortem oppetere poſſit. Superatis mille, ut mihi retulit, incommodis, quæ tàm terrâ quàm mari perpeſſus eſt, æger anheluſque Londinum venit, & paulò refocillatis viribus, relicta poſt quatuordecim dies, i.e. deſinente Novembri, Urbe, mox Oxonium, ſibi per quadraginta annos dilectiſſimam ſedem, repetiit: reverſus autem domum, ſolennibus Deo Opt. Max. quod illum per tot varios caſus & ingentia diſcrimina, ægrum licet, vivum tamen illò deduxiſſet, gratiis actis, cubiculum rectà ingreſſus eſt, nunquam inde, ne in Muſeum quidem in eâdem contignatione vicinum, ubi per integros dies uſque ad intempeſtam noctem ſummâ cum delectatione morari ſolebat, exiturus. Mox lætis Oxonienſium ob reditum felicem gratulationibus penè obruebatur. Ego verò hanc extremam vitæ fugientis & exſpiraturæ partem longioribus ætatis robuſtæ intervallis anteponendam, gazâ hac literaria,

raria, tanto cum periculo invectâ, laudabiliter & feliciſſimè impenſam, & ipſi & patriæ, quoad vixero, gratulabor. Sed inveterato malo ex atrophia & tabe, quæ carnem ſenſim depaſta eſt, indies recrudeſcente, quibus quoque acceſſerat gravis dyſenteria, vegeto tamen animo, neque per violentiam morbi ullatenus læſo uſque ad extremum anhelitum, (biduo enim ante mortem, ad me eâdem mentis conſtantiâ & firmitudine literas ſcripſit) catholicæ fidei retinentiſſimus, & firma ſpe, ex miſericordia Dei per Chriſtum Salvatorem, beatæ immortalitatis confiſus, abſolutione ſacerdotali à Parocho impetratâ, poſt ſex præterpropter ſeptimanas a reditu, totus emaciatus, duodecimo Januarii die A.C. MDC.XC.VI. uti nos numeramus, quinquageſimo nono ætatis ſuæ nondum exacto, placidè exſpiravit Vir optimus & piiſſimus, ob ſublime ingenium & profundam reconditamque eruditionem, eamque variam & multiplicem, inter maximos hujus ſeculi Viros meritò recenſendus, & cujus nomen in Annalibus Academiæ Oxonienſis inſeri, & memoria in omnem poſteritatem propagari mereatur.

Funus poſt quatriduum, viz. XVI. Januarii, ingenti pompâ elatum, ſex Doctoribus, inter quos erant D. Walliſius, conjunctiſſimus Collega, & D. Gregorius in Cathedrâ Aſtronomiæ Succeſſor, inſtratum, ſandapilæ ſuperimpoſitum, pro more ſolenni inter procedendum manu tenentibus, comitati ſunt Vicecancellarius & Primores Academiæ ad ſacellum Collegii S. Joannis Baptiſtæ, quo corpus deponebatur, ad diem reſur-

rectionis cuſtodiendum. Defunctum pro roſtris eleganti oratione laudabat Franciſcus Bernardus, iſtius Collegii Socius, & non ita pridem Academiæ Procurator : cunctis, qui parentationi aderant, lugentibus tanti Viri jacturam, & Academiæ & literis funeſtam. Ad ſeptentrionalem Sacelli parietem, Conjux erigendum curavit monimentum, inſigne quidem & pulchrum ſatis, ex candido marmore, in cujus medio, reliquâ ſuperficie paulo elevatiori, figuram cordis ipſe moribundus inſculpi voluit, hiſce verbis circumſcriptis, *Habemus cor Bernardi :* ſubtus verò, E. B. S. T. P. *obiit Jan.* 12. 1696. Quæ nuda epigraphe in parvo quadrato marmore, ſub quo ſepultus jacet, itidem repetitur. Nec opus erat aliis magnificis titulis, cum ipſe laudatiſſimæ famæ ultra omne elogium, quod Amici ſuperſtites vel comminiſci potuere, monimentum immortalibus ſcriptis ſuis reliquerit.

Supereſt, ut illius mentis imaginem, h. e. virtutes, indolem, mores, reliquumque vitæ inſtitutum & praxin, abſque omni falſo colore, licet non graphicè & artifice penicillo delineatam, parvâ in tabellâ repræſentem : itemque lucubrationum, quas perfectas, & haud difficili labore prelo parandas, aut affectas tantum, ſchediſque non parvæ molis, & libris Adverſariorum ſparſas reliquit, indicem coronidis loco apponam.

Miti erat ingenio, & à litibus jurgiiſque alieniſſimo ; ſi caſu aut deditâ operâ diſceptationibus Amicorum de rebus literariis paulò ferventius agitatis interveniſſet, ſententiam ſuam, jugulum cauſæ petiturus, ut candidè & omni diſſi-

mulatione

mulatione inanibuſque verborum profuſionibus procul, ita abſque omni faſtu, lentè & ſubmiſſâ voce, citra omnem ſtrepitum, rogatus interponere ſolebat: nemini gravis infeſtuſve, licet vel erroris manifeſtus diverſum ſentiret. Alienæ induſtriæ æquus judex: nec librorum, qui fortaſſe ob futilitatem aut ἀκριβείᾳ acriter caſtigari meruiſſent, ſi nihil aut moribus aut pietati adverſum, nihil, quod juvenum animos aut à melioribus ſtudiis aut à veritatis aſſequendæ amore abducere poſſet, iis ineſſet, malignus cenſor: librorum verò, in quibus cum eruditione certabat ſive ingenium ſive judicium, ſive in Veterum ſcriptis explicandis, aut argute & ſapientèr corrigendis benè collocata induſtria, nemo promptior magiſque benevolus laudator.

Eandem animi moderationem in dijudicandis controverſis religionis apicibus ſervabat. Licet enim inter diverſæ communionis Eccleſias, ſublatis diſſidiorum, quibus Chriſtianus orbis miſerrimum in modum atteritur, cauſis, ſine diſpendio Evangelicæ veritatis, & illæſâ iſtâ, quam ab Apoſtolis prædicatam primorum ſeculorum Chriſtiani amplexi ſunt, & illibatâ abſque dogmatum Scholaſticorum fermento fide, ſalvis quoque Epiſcoporum, quæ ſacri canones ſtatuebant, juribus, pacem & unitatem redintegrari optaverit: non tamen immodico zelo debacchandi contra aliorum ſive nova placita ſive errores, qualicunque ſpecioſo titulo ementitos, pro prudentiâ aut pietate ſuâ ſe abripi paſſus eſt; ſtrenuus Eccleſiæ Anglicanæ, verè Apoſtolicæ & Catholicæ, aſſertor & vindex, & ab ejus communione,

munione, nullis argumentis ſophiſticis, conditionibus nullis, ne dignitatibus quidem propoſitis, ſi quiſpiam audaculus attentâſſet, unquam, adjutrice divinâ gratiâ, avellendus. Interim, dum peregrè abeſſet in Gallia, rumores, quos ineptuli credulique homines avidis bibuliſque auribus hauriebant, domi de illo ſparguntur, quaſi à ſacris Romanenſium animo non eſſet alieno, deinde, mox fore Eccleſiæ Anglicanæ deſertorem, inque illorum caſtra transfugam. Sed ille calumnias haſce atroces mendaciſſimaſque, integritatis ſuæ ſecurus, contempſit, & in iis refellendis non admodum anxius, amicis reſcripſit, *illas omnes ex reditu ſuo penitus ceſſaturas.* Calumniandi vero anſam inde arripûere aliqui anguſti pectoris homunciones, eò quod ſibi cum quibuſdam Viris reverendis, Abbatibus & Sacerdotibus ſecularibus religioſiſque, ob pietatis ſeverioriſque diſciplinæ cultum pariter & ob eruditionem ſummoperè laudandis, arctiſſimam familiaritatem interceſſiſſe audiviſſent. Hoc, quod probro & vitio maleferiati vertiſſent, ſibi honori duxit, inque præcipuâ felicitatis parte collocavit: affectum obſequiumque iſtud, quibus illum dignati ſunt, pari affectu & obſequio & præſens & per omnem deinceps vitam pro virili repenſurus: quod ſequentes literæ oſtendunt. Nec hiſce cultûs ſinceri & obſervantiæ indiciis & demonſtrationibus contentus, plus quam ſemel propoſuit Pariſios iterum reverti, tum ut inſtructiſſimas iſtius Urbis bibliothecas exquiſitiori indagine luſtraret; tum ut veterum Amicorum alloquio, conſuetudine, & aſpectu mentem

mentem oculoſque recrearet, & potiſſimum in reverendiſſimi D. Huetii rueret amplexus. Tantum potuit ſtudiorum ſimilitudo, indeque enatus amor, ſolâ morte, ſi tamen ipſâ morte extingui poſſit, exſtinguendus.

Sanctas cum aliis quoque Exteris, præter Gallos, magni nominis & famæ, coluit amicitias: inter quos eminuit Vir illuſtris & nobiliſſimus, D. Ezechiel Baro Spanhemius, tum legationibus in Angliâ & Galliâ præclariſſimè geſtis, tum ſcriptis eruditiſſimis æternum victuris, longè lateque maximo ſuo merito celeberrimus: item Vir clariſſimus & præſtantiſſimus, D. Jobus Ludolfius, de gente Abyſſinorum pariter ac ſuâ, imò de univerſa Rep. literariâ, merentiſſimus; ut à cæteris recenſendis, quorum nomina, aut ex hiſce memoriis, à me, pro re nata, tanquam tot gemmæ & clavi, inſerta & intertexta comparent; aut ex ſequentium epiſtolarum Sylloge peti poſſunt, in præſenti ſuperſedeam. Noſtratibus autem a me paſſim ſuprà memoratis, quos eruditionis famâ præſtantes, ſibique familiares redditos, impensè coluit & amavit, etiam, quod exploratiſſimum habeo, accenſendi ſunt, Joannes Pearſonus, Joannes Fellus, Thomas Barlovius, Edwardus Pocockius, Iſaacus Barrovius, Thomas Gravius, Joannis † θάνυ frater germanus, Dudleius Loftus, Joannes Lightfootus, Gulielmus Guiſius, quanti viri! pridem cœlitibus adſcripti, Joannes Wallifius, iterum hic nominandus, Henricus Dodwellus, Robertus Huntingtonus, Gulielmus Caveus, Thomas Hydus, Richardus Bentleius, aliique, quos vel nude meminiſſe ad omnem elogiorum vicem ſupplendam ſat erit. Mi-

Miram ejus humanitatem experti ſunt Advenæ, quotquot fama celebritatis loci aut ſtudiorum ratio Oxonium invitaverat. Omnes, ſive amicorum literis commendati, ſive propriâ virtute & genio confiſi, illum tanquam communem Patronum, quidni dixerim, tanquam & Oraculum & Magiſtrum, adibant, vix ſuæ exiſtimationi poſt reditum in patriam, vix ſuis commodis, dum moram illic fecerint, ſatis proſpectum fuiſſe rati, ni ſeſe in ejus amicitiam inſinuaverint. Quod aliquammultis nullo negotio, quod cæteris omnibus abſque difficili & laborioſo ambitu licuit. Dum autem ille per multos annos nullis domeſticis curis impeditus, ſibi ſoli vacaturus, prope bibliothecam Bodleianam & Theatrum, quo omni tempore, ſive cœlum ſerenaret, ſive pluviis, nimbis, ventiſve turbaretur, aſſiduè erat eundum, habitaret, ad menſam communem, quam *Penſionem* nuncupant, quâ commodiſſimè excipiebantur hoſpites & peregrini, aſſidere voluit. Quam optandam felicitatem ingenioſi & induſtrii homines lætanter & avidiſſime captabant, quotidianæ converſationis & colloquiorum beneficio, cum maximo ſtudiorum profectu, ſapienter uſuri. Quali autem, quo grato iſtius obviæ & fructuoſæ benignitatis ſenſu, quem perpetuum fore, & nullis, ne longiſſimis quidem, temporum aut locorum intervallis extinguendum ſpondent, tangerentur, literæ amoris, benevolentiæ, obſequii pleniſſimæ, quas ex Angliâ diſceſſuri ſcripſere, abundè teſtantur, quæ, cum hoc ſit unicum illarum argumentum, in cenſum referri non debent.

Haſce

Haſce egregias animi dotes ac virtutes ornabat pietatis veræ & ſolidæ abſque omni affectatione ſtudium, quod diligenter quidem excoluit, non tantum Deo in Muſeo, tanquam in Sacello, vacans, rerumque cœleſtium meditationi intentus, ſed & in publicis quotidiani ſacri cultus & in religionis Chriſtianæ officiis aſſiduus: ad cujus normam vitam ſuam inſtituere σὺν Θεῷ & pro virili, quantum indolis humanæ infirmitates, ſive ex errore judicii, ſive ex ſubito affectuum impetu, invito aut obrepentes aut incurſantes patiuntur, ſincero corde ſtudebat: interim humillimus, qualitercunque in omiſſis commiſſiſque deliquiſſet, divinæ miſericordiæ propter merita beatiſſimi Jeſu Θεάνθρωπε efflagitator. Quod huc referri oportere duxi, ne quiſpiam illum aut τὴν ἀλαθῆν μεθόδον penitus neglexiſſe, aut in ſolis literarum ſtudiis omnem operam & induſtriam collocâſſe, male ſuſpicaretur. De cujus obſtupeſcendis reliquiis paulò amplius agere conſtitui, cum id, ſi rectè judico, nec tu, candide & erudite Lector, aliter, ut opinor, judicabis, tum rei literariæ tum famæ Bernardinæ illuſtrationi & augmento non parum conducere videatur.

Harum autem lucubrationum indiculum, ex ipſius vitæ breviario ſumptum, pauculis adnotatis ſubinde inſertis, illuſtrabo; deinde quædam in illo aut omiſſa aut obſcurius ſubintellecta, aliaque ex ſchedis ſolutis excerpta, mantiſſæ non contemnendæ loco, addam.

I. *Chronicon omnis ævi, ſive Canon Chronicus.*

Opus magnum, & incredibili multorum annorum labore compoſitum, in quo omnium tempo-

rum rationes, calculis accuratè ſubductis, expendit, omniumque gentium celebriores epochas, à principiis ritè fixis & ſtabilitis, ad communem periodi Julianæ menſuram deductas, ſynchroniſmis continenter appoſitis, in variis tabellis digeſſit, ut uno intuitu facilique oculo ſecum invicem conferri poſſint; itemque Faſtos Conſulares, omnemque Chronologicam rerum tam civilium, quam ſacrarum, a Chriſto nato per plurima ſecula geſtarum, hiſtoriam ex vetuſtis membranis, nummis, marmoribuſque ordinavit.

II. *Calendarium Eccleſiaſticum & Civile plerarumque Gentium.*

Harum præcipuæ ſunt veteres Græci & Romani, h. e. tam ante, quàm poſt profligatam Evangelio idololatriam, receptamque Chriſti Salvatoris fidem, Perſæ, & Arabes, tum Mohammedani, tum Chriſtiani, Syri, Coptitæ, & Æthiopes, aliique. Opus pariter magnum, & digniſſimum, quod in publicam lucem edatur, in quo de variâ apud has gentes, variis temporibus, prout melior motuum cœleſtium calculus docuiſſet, diſpoſitione, itemque de feſtis diebus cujuſcunque generis ſolerter agit: & in quo etiam innumeris ferè illorum, qui hoc nobile argumentum pertractârunt, erroribus modeſtè caſtigatis, quamplurima nova & meliora ex manuſcriptis codicibus eruuntur. Hujus verò libri doleo vicem. D. Bernardus enim cujuſdam bibliopolæ Lipſienſis, qui tunc aderat Oxonii, blanditiis deluſus, illius curæ commiſit, ut in Germaniâ ederetur, quod accuratè & citra moram

ram ſe præſtiturum ſpondebat. Sed hic nondum fidem liberavit ſuam, adhucque orbis literatus hoc deſideratiſſimo theſauro fraudatur.

III. *Index librorum Manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ.*

Ut magnificum iſtud Catalogorum bibliothecarum Angliæ & Hiberniæ opus, ipſius curæ concreditum, præſtabilius utiliuſque redderetur, iſtum penè ſervilem & maximè ingratum moleſtumque laborem contexendi indicem Alphabeticum, ut ſupra retuli, non averſatus eſt: licet continuis languoribus ac ægritudinibus propemodum oppreſſus: quem accuratiſſimum jure appellabo, in quo, præter alios ſuo ordine diſpoſitos, libri & tractatus Scriptorum Claſſicorum magni nominis,& potiſſimum Patrum veteris Græcæ & Latinæ Eccleſiæ, prænotatis titulis, in eadem communi ſerie,ad varias diſtinctaſque iſtius magni voluminis partitiones, notis compendiariis,iiſque facillimis, referenda, ſingillatim recenſentur, ne aut inanem operam omninò ludant, aut de tœdio, quod ex laborioſo multorum Indicum nudorumque numerorum examine vel attentiſſimis ſolet obrepere, querantur Lectores. Amplior autem titulus huic Indici ab ipſo præfixus ita ſe habet:

Librorum manuſcriptorum magnæ Britanniæ & Hiberniæ, atque externarum aliquot Bibliothecarum Index ſecundum Alphabetum. Edwardus Bernardus conſtruxit Oxonii. An. D. CIↃIↃCXCVI.

Quo enim majori literarum commodo melius conſuleretur, illud quoque Lectorem harum aman-

amantem ſtudioſumque latere noluit, quam plurimos codices Græcos MSS. bonæ notæ & magni uſûs, qui apud nos ex opimis Græciæ ſpoliis ſuperſunt, in celeberrimis quoque extra Britannias bibliothecis reperiendos eſſe, ut Viri ingenio & eruditione præſtantes, quos ubi ubi ſparſos idem communium ſtudiorum amor conjungit, de iis edendis ſoliciti, jam nullo negotio nôrint, unde mutuas operas ſibi invicem dare & petere, quoties opus foret, commercio epiſtolico, queant. Bibliothecæ autem, quarum catalogis, ſive impreſſis, ſive manu exaratis, ut ut mutilis imperfectiſque, in hoc præſtantiſſimo & utiliſſimo opere condendo uſus eſt, quas, ſolo literarum Alphabeti ſervato ordine, (neque id agitur, quaſi de illarum dignitate, abſurdâ pariter ac odioſâ comparatione, eſſet contendendum, cum ſingulæ peculio literario, auro gemmiſque Indicis longè pretioſiori, gaudeant) ad ipſius exemplum memorabo, hæ ſunt: viz.

Auguſtæ Vindelicorum.

Heidelbergenſis in Palatinatu Rheni, quæ nunc apud Romam in Vaticano adſervatur.

Leidenſis Academiæ.

Leopoldi Auguſti apud Viennam Auſtriæ.

Principum Medicæorum in Florentiâ apud S. Laurentium, & apud S. Marcum in eadem urbe.

Patavinæ Academiæ.

Viri illuſtriſſimi Seguierii, Cancellarii Galliæ.

Vaticana in urbe Româ.

Doluit

Doluit verò (noſque adhuc dolemus) catalogum incomparabilis gazæ literariæ in bibliotheca Regiâ Pariſienſi recondítæ, cujus vel aſpectu avidiſſimos oculos, antequam morte claderentur, ſatiare cupiebat, per triſtiſſimas bellorum vices non comparuiſſe. De hujus autem operis utilitate, quæ in univerſam rem literariam redundatura eſt, doctiſſimam præfationem paulò ante mortem præmiſit, cum illo Indice edendam.

IV. *Large Commentaries on the private Devotions, drawn from the Eccleſiaſticks of the three firſt Centuries of Chriſtians, and from the Gentile Authors, Greek, and Latine, and Oriental.*

Tituluum verò alium Codici manuſcripto præfigendum curavit, hoc modo:

Private Devotions, with a brief Explication of the ten Commandments, the Lord's Prayer, and the Apoſtles Creed: in VII. *Books.*

Hos commentarios Anglicè ſcriptos, quos diligenti manu verſavi, in publicam lucem prídem ediſſe impendio voluerat, ſi per avaritiam & pusillanimitatem bibliopolarum, qui ex concionibus, comœdiis, & indoctis frivoliſque, imò & hæreticis, ſcripturnculis certius lucrum captarunt, licuiſſet. Cujus præſtantiſſimi operis ſummam hic brevi dabo.

In illo ſuarum eſſe partium pro pietate & zelo Catholicæ veritatis credidit reverendus & doctiſſimus Author, Chriſtianæ religionis præcipua capita & articulos fidei ex Scripturis ſacris juxta

mentem Scriptorum vetuſtiſſimi ævi, & Conciliorum generalium explicationem, contra Judæos & Hæreticos, tàm veteres quàm novitios, qui, ſubdolis Scripturarum interpretationibus introductis, veritatem Evangelii corruperunt, veteremque Chriſtianam Theologiam novis figmentis incruſtârunt, tueri: deinde in uſum noſtrorum, qui paulò altius ſupra brutum vulgus ſapiunt, Eccleſiæ Chriſtianæ primordia, progreſſus, & viciſſitudines, quibus per iſta priora ſecula erat obnoxia, ex Euſebio cæteriſque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptoribus, & potiſſimùm funeſtas Imperatorum Romanorum, qui in Chriſtianos ferro, igni, crucibus, equuleis, ex vi crudelium edictorum, ſævierunt, mortes, ex Lactantio aliiſque, egregiis noviſque illuſtrandi gratiâ obſervatis ubique additis, recenſere: denique de cultu ſacro ex principiis religionis, mentibus hominum lumine naturali inditæ, & de moribus officiiſque vitæ civilis & humanæ, quæ recta ratio ſingulis, qui bonæ mentis ſunt compotes, præſtanda dictat, & de ſacris Judaici cultus ritibus, precumque formulis, & reliquo in cœtibus publicis religionis Moſaicæ apparatu fusè agere: quo inſtituto, quod ſuſceperat, præclarè defunctus eſt. Vix enim quicquam argumenti in univerſâ poſitivâ Theologiâ reperiendum eſt, quod non ibi ſolidè & eruditè tractaverit. Hinc ſanè Virum magnæ lectionis & induſtriæ pariter ac ſolertis ingenii fuiſſe teſtatiſſimum erit, in quo omne genus Authores, veteres Philoſophos, [illegible] alioſque è Gentilibus, quotquot de Ethi[illegible] ad hoc præclarum opus ador-

nandum, ut mihi narravit, diligenter legiſſet, Hiſtoricos Græcos, Latinos, Judæos, Mohammedanos, non temerè & perfunctoriè, ſed ſapientèr & cum judicio pro re natâ ubique in medium producit. Sed ne Panegyriſtem agere, & hiſce elogiis, quaſi immodicis, veri limites ſupergredi cuipiam videar, hic vagantem calamum reprimo.

V. *Obſervationes varii generis.*

VI. *Notæ ad Scriptores veteres, tam ſacros quam non ſacros.*

In hos tam Latinos quam Græcos miſcellas obſervationes, ſanè doctiſſimas, ſcripſit.

VII. *Etymologicon Græcum & Latinum.*

VIII. *Lexicon Ægyptiacum.*

In hoc Gloſſario multas Ægyptiorum antiquitates ſolerter & ſubtiliter eruit & explicavit.

IX. *Lexicon Ruſſicum.*

X. *Euclides, Græce & Latine.*

Anno M. DC. XC. IV. omnia Euclidis opera prelo paravit ſub hoc titulo :

Ευκλείδου τὰ σωζόμενα.
Euclidis Geometræ opera.

Elementorum Geometriæ & Arithmeticæ libri XV. *cum commentario Procli in primum.*

Datorum liber, cum præfatione Marini :
Introductio Muſica, cum ſectione Canonis :
Optica, Catoptrica, & Phænomena.
Omnia Græce & Latine.

De hiſce edendis valdè anxius erat, ſed hunc quoque, utiliſſimum licet, conatum planè irritum infauſta reddiderunt tempora. De *datis* verò *Euclidis* ita magnificè ſentiebat, ut *opus ad Matheſin Analyticam neceſſarium, atque a Geometris antiquis noviſque ubique præſuppoſitum* appellaverit : quapropter illud, ab erroribus editionis Pariſienſis M.DC.XX.V. purgatum, accuratiſſime recenſuit, & cum exemplaribus Græcis Arabicisque contulit. Quam præclare admodum de magno illo Geometrâ & univerſâ Mathematicorum gente hac novâ editione meruiſſe potuiſſet, aliorum erit judicare & candide interpretari.

XI. *Syntagma de Matheſi :* ſive principia & elementa Matheſeos.

Opuſculum hoc, quod dolendum eſt, imperfectum reliquit. Huc etiam referenda videntur magnæ molis Collectanea de Geometricis & Aſtronomicis, cum ſchematiſmis variis, ex Græcis, præcipue vero ex Arabicis Authoribus, qui adhuc in bibliothecis Bodleianâ & Golianâ latent inediti : de inveſtigatione lineæ meridianæ, h. e. communis interſectionis circuli meridiani ac horizontis regionis alicujus, tam pro ſolſtitiis, quam pro æquinoctiis : de anno tropico & methodo obſervandi motus luminarium ; item

de

de Arithmeticis, in quibus præclaras inſeruit Diſſertationes, alteram de notis & figuris numerorum, alteram verò de eorundem nominibus apud Latinos, ſed mutilam & quaſi in medio abruptam, aliiſque argumenti Mathematici conſimilibus.

XII. *Diſſertatio de Literatura.*

Hujus ipſe author meminit, ego verò non memini me unquam vidiſſe : illum verò novi multa de variarum gentium Alphabetis, quæ vicem commentarii in Tabulam ſuam literariam præſtarent, collegiſſe : ex quibus an ejuſmodi integram diſſertationem, ut videtur, adornaverit, me penitus latet.

XIII. *Linguarum inſularum Britanniæ & Hiberniæ origines Perſicæ & Armeniacæ.*

Sanè animo propoſuit Etymologicon ſuum Britannicum multiplici auctario & diſſertatiuncula de gentis Saxonicæ, è qua noſtram ducimus originem, Scriptoribus illuſtrâſſe : ſed partim ægritudine, partim aliis longe diverſi argumenti ſtudiis impeditus, iſtud inſtitutum, ut puto, ultra proſequi deſinebat.

Prælectiones, quas in Schola Aſtronomiæ habuit frequentes, in ſchedis ſolutis laceriſque, doctas equidem, & illo perquam dignas, in indicem referre operæ pretium non duxit : quarum aliæ neglectæ & tanquam res rejiculæ perierunt, aliæ, quæ iſtud fatum effugerint, præ ſitu, & ob perplexos deformeſque characteres vix legi poſſint. Utinam omnes illas, pulchrè & lentâ

manu exſcriptas in Muſeo Saviliano, prout monuit Fundator, ipſe vivus repoſuiſſet!

Hiſce alia etiam non vulgaris notæ, quæ in illâ recenſione omittuntur, adjicienda eſſe æquum poſtulat.

Præter enim poſteriores à quarto Apollonii Pergæi *Conicorum* libros, quos ſupra memoravi, ex Arabicâ linguâ Latinè verſos ſcholiiſque illuſtratos, contulit quatuor priores Latine editos Bononiæ M. D. L. VI. cum Græco textu ab ipſo margini addito, & cum verſione Arabica: non neglectis verſione Abrahami Ecchellenſis & Alphonſi Borelli commentario. Accedunt

Lemmata Archimedis Arabico-Latine, cum figuris & annotationibus, præmiſſa de iſtius opuſculi ratione eruditâ præfatione.

Tabulæ Aſtronomicæ Omadaddini Iſmaelis, Principis Hamah, quas exſcribere ex libro bibliothecæ Collegii Joannenſis elegantiſſime ſcripto ante triginta ſex ſeptemve annos aggreſſus eſt: ſed tabulis cognati argumenti Ulug. Beigi editis, ab iſto opere, tanquam ſupervacaneo & inutili, poſtea ceſſavit.

Proverbiorum Arabicorum, partim à D. Pocockio, partim à ſe Latine verſorum, Collectiones.

Ariſtarchus Samius de magnitudinibus & diſtantiis Solis & Lunæ. Piſauri Latine editus M. D. LXX. II. 4°. Cujus ad oram Græcum textum è codice manuſcripto addidit: & quem etiam cum verſione Arabicâ collatum examinavit. Hunc Ariſtarchi Libellum Vir doctiſſimus

mus, D. Wallisius Græco-Latine edidit Oxoniæ M.DC.LXXX.VIII. cum honorifica Collegæ sui in præfatione mentione.

Cleomedis de Meteoris opusculum, quod cum MSS. contulit, & ex veteri Scholiaste multa ad illustrandum textum adnotavit.

Vitruvius cum Ms° collatus, cujus ope locos quosdam istius præstantissimi Authoris luxatos corruptosque restituit & redintegravit.

Liber divinarum Liturgiarum, a Roberto Stephano Paris. M. D. LX. fol. editus. Quas, præsertim Liturgias Sanctorum Basilii & Chrysostomi, cum codicibus MSS. contulit, erat autem iste liber olim Josephi Scaligeri. Reliquos verò, imò, penè omnes veteres, quorum erat studiosissimus, aut ab ipso collatos, aut cum judicio & curâ adnotatos, (quod de libris aliis, si qui sint insigniores, sive ab hujus sive superioris seculi Authoribus compositis editisque, pariter quoque dicendum est) cum non mediocris tœdii esset hic sub conspectum referre, ii è catalogo facilius & commodius peti possunt.

Notæ in Glossaria Græco-Latina & Latino-Græca a Vulcanio anno M.DC. edita. In hanc rem contulit Lexicon Græco-Latinum vetus, quod in calce quorundam scriptorum Cyrilli reperitur, cum Manuscripto Bibliothecæ Monasterii S. Germani in pratis Parisinis, dum illic A. M.DC.LXX.VI. ageret.

Notæ in Gerardi Vossii Etymologicon linguæ Latinæ: ad cujus origines & per continua secula variationes scribere Canonem Etymologicum olim instituit, & de Henrici Stephani

Græcæ linguæ Theſauro edendo, vel potius de novo theſauro concinnando, cogitavit.

Notæ in univerſam Eccleſiæ Anglicanæ Liturgiam.

Scholia ex MSS. Græcis, annotationes, & commentarii in quædam ſacrarum Scripturarum capita & periochas. Utinam plura & integriora! ſed neſcio quâ vi impetuque mentis in magni moliminis initiis ſæpenumerò impeditus, ad alia ſe divertere ſolitus eſt. Attamen ſe ſerio & maximopere ad edendum amplum in librum integrum Pſalmorum commentarium accinxit; nihilque magis in cogitatis & votis habuit, iſtius propoſiti publicato ſpecimine. Editurus autem erat Pſalterium Ebraicè, Græcè & Latinè, cum veteribus verſionibus Gallicâ & Romanâ, uti & illâ, quæ ex Ebraico textu immediatè derivatur, & etiam Copticè: quam ob rem quincuplicis Pſalterii, a Jacobo Fabro Stapulenſi in cœnobio S. Germani prope muros Pariſienſes A. Ch. M. D. VIII. impreſſi, exemplar, quod olim doctiſſimi Pithœi erat, nactus, illius Gallicum, Romanum, & Ebraicum, inſigni beneficio & humanitate reverendi & doctiſſimi Viri, Joannis Mabillonii, cum manuſcripto codice probæ notæ ejuſdem Cœnobii olim contulit, & ut ſenſus Textûs ſacri, cujus perpetuus in quotidianis religionis tum publicæ tum privatæ apud omnes Chriſtianos, qui pietati ſtudent, officiis exercitiiſque eſt uſus, melius aut erueretur, aut illuſtraretur, verſiones Orientales, & præſertim Copticam, ſedulò examinavit. Dolendum eſt quam maximè, grande hoc & magnificum opus non integrum

nume-

numeriſque ſuis abſolutum redditum fuiſſe, cui vix quicquam in eodem genere comparandum ſeculum produxerit. Sed huic aliiſque præclariſſimis molitionibus & auſis continui per aliquot annos languores interceſſere, tandemque mors acerba, quam immoderatis ſtudiis vigiliiſque acceleraverit, fatalem impoſuit periodum.

Hos omnes libros ab illo compoſitos, illamque Collectaneorum, quæ fuſe memoravi, aliorumque molem: item codices manuſcriptos, collatos, notiſque eruditorum Virorum hujus & ſuperioris ſeculi illuſtratos, quos in Galliâ, Belgio, & alibi comparaverat, pro prudentiâ ſuâ clariſſimi bibliothecæ Bodleianæ Curatores in æternis illius archivis, ita ſperare & augurari fas eſt, reponendos pecuniis publicis redemerunt: quod & ille moriens optavit, modò pretium aliquatenus debitum æquumque deferretur. Iidem etiam multos libros impreſſos, melioris & rarioris notæ, illic quoque deſideratos, ex bibliothecâ Bernardinâ, exploratione habitâ, colligendos juſſere: pro his ſolutæ erant centum & quadraginta libræ ſterlingicæ, pro illis vero ducentæ. Cæteri publicâ auctione diſtrahebantur, multis egregiis viris, quos bibliothecam ſelectam adornandi cura amorque tetigerunt, libros relictos, quorum magnus erat numerus, præſertim ſi manu D. Bernardi notarentur, non ſine magno ambitu & prenſatione, ad ſe rapientibus: quod de Bibliis Polyglottis Londinenſibus peculiariter dicendum habeo. Quibus in duodecim tomos diremptis, ille propriis locis Synopſin Criticorum

rum

rum, Biblia Armeniaca, alioſque S. Scripturarum libros, ſeparatim olim editos, inſeri curans, ut loca jam oculis ſimul incurrentia faciliori operâ conferret, & certiori judicio exploraret: ad oram notas Criticas & Scholia, verſionibus quoque, præcipuè Græcâ, Arabicâ, Syriacâ, & Pentateuchi Samaritanâ, cum originali textu, cum codicibus MSS. & cum ſcriptis Patrum ſubinde collatis, paſſim congeſſit: inde in iſta licitatione pretio valde adaucto. Tandem O. W. Danus, ipſius hoſpes, & qui illum ex Hollandiâ comitatus eſt, oblatis viginti libris ſterlingicis, ſuum in jus aſſeruit, poſtridie triginta ab aliquo, ut in ipſum transferretur cupiente, percepturus: ſed ille conditiones iſtas lucroſas generoſo animo, de valore & dignitate iſtius literarii mercimonii ſibi ſatis conſcius, omninò averſatus eſt, patriam ſuam tanto theſauro ditaturus. Sed manum de tabulâ, quam ſuſcepi delineandam.

Ita D. Bernardi famæ litaturus, memoriam ejus literis mandare, illumque tanquam pulchrum & amabile induſtriæ, ſtudioſæ, ſummâque cum tranquillitate, & quidem ſummo cum honore & patriæ & literarum in umbris Academicis tranſactæ vitæ exemplar proponere conſtitui. Hanc parentationem, ut ut laxam & inconditam, forſan non malè interpretabitur æqua poſteritas, ſaltem, uti ſpero, meam erga Amici defuncti manes pietatem & affectum piè quoque & benignè excuſabit. Weſtmonaſterii XVIII. Novembris, A. C. CIↃIↃCXCVIII.

Teſtimonia

Teſtimonia & Elogia virorum clariſſimorum & doctiſſimorum de D. Edwardo Bernardo.

PAſchaſius Quenellus ad S. Leonis opera Diſſertatione XII. de Codice Canonum Eccleſiæ Romanæ p. 641. Lutetiæ Pariſiorum A. 1675.

Hujus Apographum miſſum eſt ad me Oxonio a clariſſ. Viro mihique amiciſſimo, E. Bernardo, in Academia Oxonienſi doctiſſimo Aſtronomiæ Profeſſore Saviliano, quem an ſingularis humanitas cum doctrina conjuncta, an promovendarum literarum amor indefeſſus magis commendent, difficile dixeris.

In Præfatione ad Opera S. Leonis Magni.

Quantum debeam viro doctiſſimo, E. Bernardo, Aſtronomiæ in Oxonienſi Academia Saviliano Profeſſori, dicere non valeo. Non tantum enim codicis Romani, aurum contra æſtimandi, apographum, cura ſua deſcriptum, ad me tranſmiſit, ſed & bibliothecas Oxonienſes ſumma diligentia ipſe ſcrutatus eſt: Archiva Laudina, Bodleiana, Orielenſia, Baliolenſia, Pembrochiana, &c. excuſſit,

Edita

edita cum MSS. codicibus contulit, varias lectiones propria deſcripſit manu, ea cura, eo ſtudio, ea humanitate, cui parem vix ac ne vix quidem invenias.

Nec ſatis fuit Viro liberaliſſimo ſua profudiſſe, niſi & amicorum ſtudium ac laborem impendiſſet, quorum oculis Cantabrigienſes bibliothecas & codices MSS. luſtravit, indeque excerptas miſit varias lectiones. Humaniſſimo D. Thomæ Gale hanc mihi opem debere, quando Bernardus ſignificat, ingratus ſim, ſi Viri nomen hoc loco reticeam.

Joannes Fellus, Epiſcopus Oxonienſis, in appendice ad Aratum, pag. 47. Oxon. 1672. ubi quarundam cantionum Græcarum ſpecimina edidit.

Quæ ex Hibernia, ubi inter ſchedas reverendiſſimi Uſſerii latuerunt, feliciter redemit copiamque fecit vir de bonis literis optime meritus, D. Bernardus, Coll. D. Johannis Baptiſtæ ſocius.

Idem in Præfatione ante Archimedis Arenarium. Oxon. 1676.

Inſuper cum conſultiſſimum videretur, ut Euclides agmen duceret, illius rei curam fidei eruditiſſimi noſtri D. Edwardi Bernardi, Profeſſoris Aſtronomiæ Saviliani, commendavimus: qui non ſolum omnes intendebat nervos, ut liber ipſe omnibus numeris abſolutus prodiret, ſed ſuis ſumptibus diagrammatum

grammatum totius operis formas eleganter delineandas & exculpendas curaverat, ſpecimine paginarum aliquot typis inſuper commiſſo.

Idem in Præfatione ante S. Barnabæ epiſtolam Oxon. 1685. De ſchedis quibuſdam reverendiſſimi D. Uſſerii ex incendio ereptis.

——*Quas vir eruditiſſimus, Edwardus Bernardus, S. Theologiæ Doctor, & Aſtronomiæ Profeſſor Savilianus, redemit, mihique benigne communicavit.*

Joannes Walliſius in Præfatione ante Ariſtarchum de magnitudinibus & diſtantiis ſolis & lunæ. Oxon. 1688.

Græco codice MS. uſi ſumus reverendi Viri, D. Edwardi Bernardi, S. T. D. Aſtronomiæ Profeſſoris Saviliani, Collegæ mei maritiſſimi: quem ille dudum manu ſua ex Saviliano codice fideliter exſcripſit.

——*Duæ item verſiones Arabicæ, quæ celeberrimi Seldeni olim fuerant, cum ejuſdem reliquis, in Bodleiana bibliotheca jam repoſitæ. Unde quæ alicujus videbantur momenti, nonnulla adnotavit D. Bernardus ad oram ſui libri, ut ex Valla Verſione quædam.*

Thomas

Thomas Galæus in Præfatione ante opuſcula Mythologica, &c. Cantabrigiæ 1671. de Palæphato περὶ ἀπίστων.

Trium Oxonienſium variantes lectiones ad me miſit Vir omni eruditione & humanitate excellens, Edwardus Bernardus, Coll. D. Joan. Oxon. Socius.

De Cornuto. *Ex codicibus Oxonienſibus nonnullas ipſe emendationes excerpſeram, alias, partem longe maximam, & capitis ultimi fragmentum hactenus deſideratum, idem ſemper mihi colendus Bernardus ſuppeditavit.*

Idem in Præfatione ante Iamblichum de myſteſteriis. Oxon. 1678.

Exemplar Græcum, quod nunc primum edo, acceepi ab eruditiſſimo Viro, Iſaaco Voſſio. Illud ubi non ſatis emendate ſcriptum comperi, impetravi a doctiſſimo Viro, Carcavio, ut corrigi & emendari poſſet ex codicibus ſcriptis, qui ſervantur in bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. Edw. Bernardus, Profeſſor Aſtronomiæ apud Oxonienſes ornatiſſimus, multiſque mihi officiis conjunctiſſimus, negotium MSS. conferendorum (nam in Galliis tum temporis agebat) & ſuſcepit libens, & quod ipſe domum rediens abſolvere non potuit, curavit mihi conficiendum per Johannem Mabillonium, quo ego Viro nihil humanius unquam videor intellexiſſe.

A.

A. Gallandius in præfatione ad Bibliothecam Orientalem Herbelotii, ubi quoſdam viros doctiſſimos è gente noſtrâ (putà Seldenum, Pocockium, Caſtellum, Hydum, & Gravium) qui linguarum Orientalium ſtudia excoluerunt, memorat, hæc de Bernardo noſtro habet.

Le Docteur Bernard ſi ſcavant dans les Mathematiques, & dans les belles lettres, nous en fait auſſi eſperer : & il n'y a pas de doute, qu'ils ſeront dignes de ſa grande capacite dans les meſmes langues.

Jacobus Gronovius in appendice ad fragmentum Stephani Byzantini de Dodone. Lugd. Bat. 1681. 4°.

——*Mihi allatæ ſunt multijuges & dubium ardentis in me amoris plus ac benevolentiæ, an eruditionis & humanitatis ſignificantes epiſtolæ ab Viro clariſſimo, Edwardo Bernardo, Mathematum apud Oxonienſes Profeſſore doctiſſimo.*

D. Menckenius in Actis Eruditorum Lipſiæ publicatis, menſe Aprili 1691.

——*Lectori benevolo invidere nolumus Chronologiæ Samaritanæ laterculos binos e MSS. excerptos, & Latine verſos, nobiſque per epiſtolam nuper*

nuper communicatos a clariſſimo Oxonienſium Profeſſore, Edvardo Bernardo. In tanta enim memoriarum Samaritanarum penuria vel hæc breviora theſauri inſtar habebuntur rerum Orientalium cupidis.

His plura alia teſtimonia & elogia ſuperaddere facile eſſet : ſed ea de induſtria omitto.

VETERUM

VETERUM

MATHEMATICORUM, GRÆCORUM, LATINORUM, ET ARABUM, SYNOPSIS.

Collectore Viro clariſſimo & doctiſſimo,

D. *EDWARDO BERNARDO.*

Σὼ Θεῷ.

Veterum Mathematicorum Scripta, *quæ reperiri potuerunt.*

VOLUMINIBUS XIV.

VOL. I.
EUCLIDES.

I. ELementorum libri quindecim juxta editionem Græcam Baſileæ 1533. collatam cum MSS. Gr. Bodl. Arch. B. 25. & Bodl. S. 4. 9.

Una cum verſione Latina Fr. Commandini Piſauri 1572. & Piſauri 1619. aliquot in locis emendatâ.

Principia, quorum in conſtruct. & demonſtrationibus uſus eſt, in margine adnotata.

Schemata æri inciſa.

Demonſtrationes Symbolis breviſſimè expreſſæ ex editis D. Barrovii, & ſcriptis D. D. Oughtredi & Rawlinſoni.

Scholia vetera

Græcorum, ex codd. MSS. & editione Commandini.

Arabum, ex MSS. Arab. in Arch. Bodl. recenſente Thebeto Corraide, & in bibl. C. V. D. Pocockii, & in bibl. Coll. D. Joan. Bapt. Oxon.

Item juxta traditionem Chogia Naſireddini Perſæ, Romæ 1594. Exſtat autem & Perſicè inter MSS. bibl. Coll. D. Joan. Bapt. Oxon.

Item ex verſione Latina, quam ex Arabico fecit Adelardus, manuſcriptâ in Muſeo Bodl. Ambulac. 178. & Arch. Digb. 174. & Coll. Trin. Oxon. 24. & MS. Bal. 239. & Cant. Pen. 61. & 69. & Caii 1. & Seld. Arch.

——per Campanam. Par. 1516. & Baſ. 1546. & MSS. Bodl. A. 3. 8. Med. & Y. 1. 2 Th.

——Syriaca ex MS. Syr. in Arch. bibl. publ. Cantabr.

Annotationes Viri illuſtris, D. Savilii, & aliorum, ex MSS.

Excerpta (neceſſaria quidem) ex ſcriptis recentiorum jam vulgatis Fluſſ. Candallæ, Peletarii, Zamberti, Tartaleæ, Clavii, Billingleii noſtratis 1496. Camilli, Taurelli, Welperi, Camerarii 1577. Cattaldi, Schulerii, Bettini, Jo. Benedicti, Dibuadii, Puteani, Scheubelii, Lanſii, Tacqueti, Barrovii, Herigonii, Cottignez, Fabri, Arnoldi, Oughtredi, Walliſii, Sturmii, Cardani, Richardi, Daſypodii, Bovilli, præcipuè verò Fr. Commandini.

Procli commentarius in Elementorum lib. 1. Græcè quidem ex edit. Baſileenſi ad fidem codd. in Arch. Pembr. 161. emendata. Idem

ille

ille liber, quo in verſione ſua concinnanda olim uſus eſt Baroccius, Latinè verò ex verſione Baroccii (ſed correcta) cum notis.

Iamblichus περὶ κοινῆς μαθηματικῆς Gr. Lat. ſtudio D. Tennulii e MSS.

Problematum Euclidæanorum Analyſis per Fr. Schotenium ex ſchedis illius Geometræ.

De ſuperficierum diviſionibus opus egregium, Mohammede Babylonio vel Authore vel Interprete. Latinè cum notis Fr. Commandini juxta edit. Piſaur.

Thabeti liber conſimilis argumenti, Arabicè & Latinè, ex codd. Arab. Seldeni cum notis.

Excerpta ex Martiani Capellæ libro ſexto collata cum MSS. antiquiſſimis in Arch. Seld. & in Coll. Ben. Cantabr. 181. & Digb. 221. Merton. 70. & Ben. 185. & Laud. L. 71.

Ex Boethio H. 1. 10.

Iſaacus Argyrus de figurarum tranſmutatione Gr.Lat. è codd.MSS. Pembr. 70. 393. & Pemb. 111. 73. & Seld.

Iſaacus Monachus in ſex priores lib. Element. Argent.

Anonymus de menſurandis ſolidis MSS. Digb. 104.154. & in bibl. Saviliana. Vide & K. 44. & K. 17. in Arch. Laud. item K. 61. Laud.

Mich. Pſelli Geometria, hoc eſt, Geodæſia διὰ στίχων Gr. MS. Pembr. 76. 412.

D. Savilii Prælectiones ſecundum edit. Londinenſem 4°.

Præfatio de Euclide ejuſque operibus, quantum poſt Proclum ac Savilium licet.

Nicephori Blemmidæ fragmentum de Geometria & de ſtellis MS.Gr.Pembr. 106. & in Pſ. 8. ibidem.

Nicephori Gregoræ quæſtiones philoſophicæ & mathematicæ inter alia, de menſurâ arcæ Noe ex Origene, Gr. MS. Pembr, 48.

Idea Trigonometriæ folio unico.

Hic forte vel ad Heronem, & de Geometria practica ex MSS. bibl. Savil. & Digb. & Seld. & D. Gronovi V. celeberrimi, atque ex Clavio, Herigono, Stevino, Tacqueto, Pitiſco, &c. ſed quam breviſſimè.

Index.

II. Euclidis Data Gr. Lat. ex edit. D. Hardy, 4°. Pariſ. 1625. collata cum edit. Lat. Baſil. 1546. & cum MSS. Lat. in ambulacro Bodl. 178. & cum MSS. Græcis in Arch. Pembr. 161. & cum MSS. Arab. in Arch. Seld.

Una cum præfatione Marini Gr. Lat. & ſcholiis veterum atque etiam recentiorum manuſcriptis.

Thabeti Data Arab. & Lat. è codd. Seld. & ex cod. Bodl. Con. Apoll.

Jordani Data Arithmetica ex MS. Bodl. in ambul.

III. Euclidis Introductio Muſica, & Sectio Canonis. Gr. Lat. juxta edit. Meibomii 4°. & Penæ Par. 1557. 4°. collata cum MS. Ben. 183. & MS. Gr. Pembr. 41. cum notis Meibomii & aliorum.

IV. Euclidis

